ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Septembris, Anno M DC LXXXIII.

MISCELLANEA ERUDITÆ ANTIQUITATIS, sive SUPPLEMENTUM GRUTERIANUM: in quo eruditiora & intellectu difficiliora Marmora a Grutero omissa enodantur; statuis, gemmis, nummis, & toreumatis illustrantur; consarcinante JACOBO SPONIO Medicinæ Doctore & Professore Collegio Lugdunensi Aggregato.

Lugduni 1679 & 1683, in fol.

OMnia nata interire, neque quidquam immortale esse in terris, sed quæ manibus hominum facta sunt, iisdem concidere ac dirui, æreis & marmoreis quam maxime patet monumentis. quæ ab auctoribus immortalitati nominis, quod cum æternitate temporum certet, destinata, vix per aliquot sæcula durarunt; devastationibusque bellicis obruta, aut situ & carie exesa, exiguam sui memoriam posteris reliquerunt, ex cineribus & ruinis urbium hodie repetendam sollicitequе effodiendam. Quo magis laudanda est eorum industria, qui de bonis litteris bene merituri in desolatarum urbium ruderibus consepultas lapidum memorias investigant, arbitrati antiquis lapidibus ceu fundamentis meliorem eruditionem superstrui: & his adminiculis fulti multa latinitatis sauciæ vulnera feliciter sanarunt, vocabulis luxatis genuinas litteras, orationi hiulcæ appositas sententias, vetustate deletis nominibus memoriam, & obscuris lucem ex obsoletis statuis, scabrosis cippis, & squalore obductis ac temporis injuria fere abolitis monumentis restituentes. Omnium cæterorum industriã studii hujus assiduitate & felicitate proventus supergressus est JANUS GRUTERUS, qui omnes sive ab aliis editas publice, sive pri-

privatim transmissas aut aliunde erutas Inscriptiones vasto opere collegit: quod eruditorum omnium applausu exceptum, qui incredibilem monumentorũ quæ vetustis saxis continentur præstantiam & late diffusam per omne genus priscæ ac reconditæ doctrinæ varietatem veneratione prosecuti *admirandi* elogio passim celebrarunt. Inde utique nec aliunde ferme petendi varii Sacrorum ritus; Fœderum formulæ; Magistratuum scita, munia, discrimina; Collegiorum, Corporum, Professionum genera, officia, rationes; Domus Augustæ ministeria; Tituli operum publicorum; multa domi militiæque instituta; adde Manium jura; Pietatis mutuæ Parentum, Conjugum, Liberorum, ac eruditæ simul elegantiæ monumenta; principis denique gentium Populi nomina, ætates, tribus; *singula* publicis quasi tabulis descripta. Hæc certe aliaque, enarrante doctissimo Spanhemio *sub init. Dissertat. IX de præstantia & usu numismatum*, tot litteratis ex omni memoria ætatum, temporum, civitatum Saxis, impensum quoddam pretium apud gnaros talium ac intelligentes haud immerito constituunt, eorumque assertores ac vindices æternitati consecrant. Igitur ad consummandam Gruteriani instituti nobilissimi utilissimique (quod accessionibus locupletabitur quamdiu bonis litteris honor constabit) laudem complures editis hoc sæculo quas ipsi deprehenderunt Inscriptionibus insignem operam contulerunt; REINESIVS vero, cujus Syntagma anni superioris mense Aprili pag. 89 recensuimus, & cui hoc studium ætatem fuit, eorum spicilegia colligendo & ad Scaligero-Gruterianas rationes componendo largam earum messem coacervavit: & nunc elegantissimæ doctrinæ ac variæ eruditionis vir JACOBVS SPONIVS Medicus & Polyhistor Lugdunensis idem institutum magno elegantiarum apparatu instructus strenue urget. Ac superiori quidem nono & septuagesimo sæculi anno *Supplementi Gruteriani* Partem primam ejusque *primam* sectionem sub titulo *Miscellaneorum eruditæ antiquitatis* emisit, universumque per partes proditurum opus Serenissimo Galliarum Delphino nuncupavit; hoc vero quem agimus anno sectionem *secundam* & *tertiam* publici juris fecit: ubi magisne nitorem typorum, chartæ munditiem, elegantiam iconismorum, & artificiosam accuratamque marmorum delineationem mireris, an adjectorum discursuum variam eruditionem suspicias, ambiguum est. Sponianum sane

Gru-

Gruteriano operi, cui ſupplendo & explicando expoliendove operam hanc impendit, palmam prærepturum eſſe, ubi ad juſtæ magnitudinis molem excreverit, dubitationi locus vix relinquitur. Tribus enim libris omnia conſtituit Auctor ſe collecturum marmora, quæ vel in Gruteriano opere *nondum viſerentur*, cumprimis Græca; vel male in eo poſita aut *vitioſe deſcripta* ipſe iter per Italiam Græciamque faciens accuratius enotaſſet, aut ab amicis accepiſſet, aut ex libris poſt Gruterum *editis* hauſiſſet; vel denique quorum imagines & typos nondum quiſquam vulgaſſet, & quæ eruditas ac intellectu difficiliores inſcriptiones gemmis, ſtatuis, muſiuis & toreumatis illuſtratas exhiberent. *Primum* librum *ſeptem* vel *octo ſectionibus* abſolutum iri indicavit, quarum *tres* ſuis diſtinctæ articulis jam prodierunt, nitidisſimis æneis tabulis artificioſe exſculptis inſignes, quæ ſacra ac Deorum hiſtoriam, inque ſacrificiis uſitatorum rituum, Mænadum, Muſarum, Collegiorum & aliarum ad bonas litteras intelligendas proficuarum rerum cognitionem illuſtrant. Sub finem de *tripodibus* Diſſertatio annexa eſt, eique præmiſſa tabula e nummis & aliunde petitas varias tripodum formas ob oculos ponens. Ut quæ reſtant ſectiones partis hujus abſolvere, ſed & reliquas duas partes integri operis adornare liceat, celeberrimo Auctori idoneum otium & ætatem ac vires præſtantiſſimo ſtudio ſuffecturas a DEO precari bonarum litterarum nos jubet amor.

SANCTI GREGORII PAPÆ PRIMI cognomento Magni, Milleloquium Morale; Autore R.P. Jacobo Hommey Auguſtiniano, Communitatis Bituricenſis.

Lugduni 1683. in fol.

Non inepte quidam, cum Patres Eccleſiæ tam Græcæ quam Latinæ in ætates, primam, mediam, & ultimam diſtribuunt, ac cuique ætati quatuor Cardinales Patres tum Græcos tum Latinos aſſignant, ex Latinis primæ ætatis Ambroſium, Hieronymum, Auguſtinum, & Gregorium M. pro cardinalibus habent. Hi enim validiſſima quatuor Eccleſiæ Latinæ fulcimenta præter cæteros ſunt viſi, imo & tanti a Canoniſtis fuere habiti, ut, quod Gloſſator *ad Jus Canonicum* & Ever-

 har-

hardus *in Topica Legali* observavit, ipsis standum in rebus certis dixerint, Hieronymo puta in Translationibus, Augustino in Disputationibus, Gregorio in Moralibus, & Ambrosio in Sacramentis, seu in Allegoriis sacris. Fuere autem Patrum horum quatuor opera non evoluta tantum ac revoluta quam diligentissime, sed a multis in succum etiam atque sanguinem, quod ajunt, conversa. Fuerunt quippe ex varii ordinis Fratribus, qui in otio illo monastico flores ex spatiosissimis patrum campis decerpsere; quemadmodum & liber extat *Deflorationes patrum*, rectius, *Flores ex patribus*, inscriptus. Notus præ aliis est *Bartholomæus Urbinas* seu *de Urbino*, Ordinis Eremitarum S. Augustini, Vir, Trithemio teste, non *in divinis* tantum *scripturis studiosus & eruditus*, sed & *operum sanctorum patrum perscrutator*. Hic enim *Milleloquium Augustini*, quod *Augustinus Triumphus de Ancona* inchoaverat quidem, sed morte præventus non absolverat, perfecit; seu, ut Sixtus Senensis de eo in Bibliotheca Sancta, *omnia fere D. Augustini volumina tenens contexuit e variis sententiis ac locis opus ingens duobus tomis constans in explicationem totius scripturæ &c.* Habuit autem Urbinas præduces hac in re, præter Augustinum Triumphum, adhuc alios. Ita enim ille in epistola præliminari ad Clementem V Pontificem Romanum: *Consideravi doctorum Bernhardi compilatorem atque Gregorii; volui itaque ob devotionem, cui ex devotione obligor, æqualiter esse Augustini; imitatus Archidiaconem Aretinæ Ecclesiæ, qui de dictis hujus Doctoris eximii omnes fere epistolas Pauli glossavit. Secutus etiam Eusebium Abbatem, qui de libris ejusdem volumen sub vocabulo Florum Paradisi transcripsit; occurrit insuper moderna inspectio viri spectabilis, venerabilis amici mei, Domini Johannis Andreæ de Bononia, Decretorum Doctoris eximii, qui de vita & libris beati Hieronymi luculentum librum edidit, & Hieronymianum nuncupavit.* Scripsit autem idem Bartholomæus de Urbino & *Milleloquium Ambrosianum*, & quidem ad mandatum ejusdem Clementis Papæ, prout ipse in epistola præfixa profitetur. Sed ecce! & *Milleloquium Gregorianum*, *Milleloquium* inquam *S. Gregorii M.* qui patrum cardinalium Latinorum primæ ætatis quaternionem meritissimo suo complet. Scripsit illud *P. Jacobus Hommey*, Augustinianus, idque Innocentio XI, Pontifici hodie Maximo, dedicavit. Cum enim animadverterit hic autor, *duo Milleloquia Bartholomæi Urbinatis* lau-

laudari ab omnibus, tractarique utiliter, dolueritque non ſimile quid tentatum in Gregorio, Bernhardo, aliisque patribus, (tentatum autem ſimile quid fuiſſe verba Bartholomæi de Urbino ſupra allegata docere ipſum potuiſſent) *Milleloquium Gregorianum* adornare ipſus voluit, inque eo quicquid *Gregorius* non ad formandos tantum mores ſcripſit, ſed & quicquid in eo ad Theologiam Scholaſticam, Poſitivam, Aſceticam, ſacrarum literarum intelligentiam, Jus Canonicum, Eccleſiaſticamque diſciplinam ſpectat, ordine digeſſit alphabetico, notisque perpetuis *illuſtravit*. Opus hoc autor ipſe commendat ut Theologis, Interpretibus, Aſcetis, Concionatoribus, Canoniſtis, omnibus denique Chriſtianis longe utiliſſimum. Et ſane non collectæ tantum in eo ex libris Gregorianis ſunt ſententiæ, ſed loca etiam obſcuriora adnotationibus doctis elucidata; cumque loci operis alii ſint Theologici, alii Hiſtorici, alii mixti; Theologici, Canonici inprimis atque Aſcetici, in varias diviſiones ac ſubdiviſiones ſunt ſecti, adhibitis etiam quæſtionibus & argumentationibus Syllogiſticis, ut tractatus integri ac diſſertationes videri poſſint. Sed audite Autorem ipſum has ſuas merces ſic commendantem in præfatione ad Lectorem: *Milleloquium hoc noſtrum omnium tractatuum ejus* (Gregorii) *ſupplementum, lumen, medulla eſt, nec mera cenſeri debet ſententiarum collectio indigeſtaque moles; quinimo corpus doctrinæ ſuis membris diſtinctum, conſtans nervis &c.* Et ſub finem: *Vix tibi deinceps opus fuerit aliorum tractatus evolvere, ut de quovis Theologico, Morali, Aſcetico, Canonico capite ad amuſſim diſputes. Quodlibet proponatur, doctisſime, ornatiſſime, efficaciſſimeque pertractabitur a te, exhaurietur, adeo ut meo milleloquio utaris ceu quodam omnium ſcientiarum penu, gazophylacio, encyclopædia, isque tibi erit liber & omnis, & multiplex, & unicus.*

DESCRIPTION DE LA LOUISIANE, nouvellement decouverte au Sud-Oüeſt de la Nouvelle France, par ordre du Roy &c. par le R. P. Louis Hennepin, Miſſionaire Recollet.

seu

Descriptio Louisianæ, nuper detectæ ad meridiem & occidentem Novæ Franciæ, ex mandato Regis; cum tabula Geographica & relatione de moribus & victu barbarorum: dedicata Regi, a R. P. Ludovico Hennepino Missionario Recollecto & Notario Apostolico.

Parisiis 1683, in 12.

LOuisianæ nomen tractui Americæ septentrionalis Galli nuper dare cœperunt, sive quod incolæ solem *Louis* vocant; sive ad nomen Regis Christianissimi respicientes; sive quod simul ad emblema alludant, quo Regias virtutes & actiones cum Sole comparare ingeniosi quidam scriptores assueverunt. Inde est, quod in dedicatione sua, ut & in fine libri autor hic, professione monachus, ordinis S. Francisci, ex severiori Recollectorum disciplina provinciæ Atrebatensis, Regi novum & ingens in Americanis illis provinciis regnum ominatur: reperta jam via, hucusque non explorata, per lacus & flumina, quibus ex nova Francia in sinum usque Mexicanum navigari potest. Hujus indagatio non semel a Gallis tum militibus & mercatoribus, tum missionariis Ecclesiasticis, æmulatione & invidia, ut ex hoc ipso libro apparet, aliquando certantibus, cœpta, sæpe tamen interrupta fuit. Conatum *Jollieti* anno 1673, ex relatione *Marquettæ* Jesuitæ, *Thevenotius* in tractatu nuper memorato exposuit. Paulo ante *Robertus Sallius* Eques anno 1669 iter ingressus, ultra fines lacus *Ontarii* sive *Frontiniaci* non pervenerat, variis remoris impeditus, donec anno 1675 ex cessione Comitis Frontiniaci, Novæ Franciæ postmodum Gubernatoris, (a quo & lacus & munimentum adjacens nomen habet,) Regium diploma impetraret, ad Frontiniacam munitionem, quæ subitaneo opere ex vallis & cespite exstructa erat, amplificandam & cæmentis firmandam; deinde anno 1676 novo privilegio ad exercendam pellium mercaturam excitatus, serio de itinere occidentem & meridiem versus cogitaret. Assumsit autem ad religionis Christianæ rudimenta barbaris proponenda, ex Recollectorum sodalitio monachos

chos tres. Inter eos fuit autor hujus descriptionis, qui paulo ante in colonia Gallica 14 aut 15 familiarum ad Frontiniacum collecta sacerdotis & catechetæ munus exercuerat, & liberos *Iroqviorum* (ita barbari indigenæ illius tractus, Gallorum foederati aut clientes vocantur) literis imbuere cœperat.

Orsi sunt iter mense Novembri anno 1678 lembo majori usi, hominum primum 16, postmodum 32 comitatu, & mercibus, quas barbari desiderant, ferramentis præcipue, instructi. Ingentes in vasto illo terrarum tractu lacus sunt, a Geographis minus recte notati. Eorum quinque maximis, Galli nomina *Delphini*, *Aureliani*, *Condæi*, *Contii* & *Frontiniaci* dederunt. Hic coloniis Gallicis *Monti Regali* & *Quebeco*, ubi Episcopi sedes habetur, propior est. Ex lacubus hisce ingentem aquarum molem celebre *S. Laurentii flumen* & sinus haurit. Isti lacus per transeuntia flumina inter se connectuntur, periculosa tamen navigatione, tum ob rapiditatem amnium, tum ob cataractas immanes: quarum una, ad Niagaram fluvium, *magni saltus* nomine famosa, ad 500 pedes alta est. At Barbari lintres habent ex arboribus cavatas, vel ex arundinibus & juncis ita compositas, ut fere non nisi duos tresve homines capiant; eaque sunt levitate, ut, cum ad cataractas perventum est, vel ab uno fluvio in alium transeundum, bajulari, aut per terras nive oppletas trahi possint. Ita fit ut flumina celerrime pernavigent, & improvisi hostibus superveniant, aut venationes in dissitis terris exerceant. Talibus scaphis utendum etiam fuit Sallio & sociis, cum majora navigia subvehi & transferri non possent. Facilis tamen est majorum navigiorum structura ob materiæ copiam: eaque infra cataractas, per quas nullus navibus ascensus patet, fabricari, & navigationem commodiorem, barbaris vero terrorem facere possunt. Etsi enim ex commerciis cum Anglis & Batavis arma Europæa quidam acceperint, pavide tamen nec satis perite iis utuntur, ita ut centeni Europæis decem non resistant. Cæterum molestissimum fuit hoc iter, tum ob frigus, quod sub climate illo non est mediocre, & flumina glacie adstringit, tum ob summam omnium rerum penuriam, cum commeatum sufficientem lintrium angustia non caperet, sed victitandum esset modico frumenti Indici demenso, eoque tosto, plerumque vero carne ursorum aut bubula, pingui quidem, sed ob salis & aromatum defectum insipida. Mirum vero

vero est, quod carnes illas, sine sale siccatas, in saccis ex pilis taurinis compositis, ad quatuor menses barbari servent, ita ut recentis saporem retineat, & jus ex ea coctum bibatur; quod optimum potus genus est, ubi præter aquam ferme nihil habetur, quod sitim restinguat. Accessit barbarorum nequitia & perfidia, quippe quos non Batavi solum, sed & ex Gallis quidam Sallii æmuli *stimulabant*, ut iter quovis modo, mentiendo etiam & pericula fingendo, impedirent. Sic coactus fuit, amissis etiam naufragio mercibus non contemnendi pretii, Frontiniacum miserrimo modo pedes remeare; cum prius inter lacum Delphinum & fluvium, cui *Segnelay* nomen fecerunt, in finibus *Ilinorum*, domum aliquam *Crepicordii* seu *Crevecoer* nomine, exstruxisset & communiisset; postea tamen defectione sociorum derelictam. At Hennepinus rogante Sallio, & excitatus a sodalibus monachis, iter, duobus Gallis comitantibus, continuavit, ut non solum alia flumina, sed & ingens illud, in quod cætera incidunt, cui accolæ *Mechsasipi* sive *Missisipi* a magnitudine, sed Galli ab illustrissimo Colberto, coloniarum & navigationum summo post Regem patrono, nomen fecerũt, ascendendo & descendendo ad 500 leucarum longitudinem enavigaret; eo tamen fato, ut non saltem fame & fatigatione fere consumeretur, sed & per menses novem captivi loco a gente *Issatorum* sive *Nadovessorum*, una cum sociis duobus, haberetur, quotidie mortem a barbaris exspectans, quam ex monachis Gabriel Ribukdæus, nobili in Burgundis genere natus alio loco, sed in hoc ipso itinere oppetiit, clava barbarica trucidatus. Supervenientibus tandem Gallis quibusdam, mercaturam exercentibus, & dimissus ab hero barbaro, qui servitutis rigorem adoptionis titulo emolliverat, filiumque suum vocabat, post annos a cœpta navigatione fere tres, Frontiniacum rediit, mense nempe Julio anno 1681. Quæ omnia ex narratione ejus non sine commiseratione, sed & cum admiratione legentium percipi possunt. Sed præstat de regionibus ipsis & incolarum moribus & victu notabilia quædam excerpere.

Regio sita est ad occidentem Novæ Franciæ in meridiem protensa, inter gradum latitud. septentrionalis 50 ad 36. A septentrione & ortu æstivo habet barbaras gentes, & versus ortum colonias Anglorum, Gallorum & Batavorum. Cum vero, posteaquam Hennepinus iter suum finiit, anno sequenti 1682 Sallius, flumine Colbertino

ad

ad 300 leucas ulterius descendens, usque ad sinum Mexicanum navigaverit, novasque gentes, & inter eas *Ovamatas*, qui regem, & aulam ministris sapientibus ordinatam habent, detexerit, accuratior & amplior descriptio sine dubio brevi evulgabitur; cujus spe tabulæ Hennepinæ, ut imperfectæ, exemplum Actis hisce addere supersedimus. Quod vero naturam & temperamentum locorum attinet, feracissima omnis generis frugum terra ista perhibetur, etiam vitium, quæ ibi sine cultura crescentes, ad arbores eriguntur, & racemos uvarum ingentes ferunt, unde vinum Gallico fere æquale exprimitur. Quoad calorem & frigus, Europæis provinciis non absimilis est, cum quibus in eodem climate jacet, nisi quod ob lacuum & fluviorum copiam depressior est & humidior, sed ideo etiam fertilior, & incredibili pascuorum copia abundans. Admittit itaque nostri frumenti, tum leguminum & olerum omnium sationem & plantationem: at arbores proceritate & specie fructuum nostras vincunt. Major etiam omnium ferarum multitudo & varietas est, ut & piscium, & volatilium. Inprimis ingentes boum sylvestrium, sive urorum, greges circumvagantur, quorum venatio barbaros maxime occupat. Ursorum, cervorum, caprearum, luporum, castorum non parvus numerus est: ranarum ea magnitudo, ut voce mugitum boum fere æquent. Serpentes & alia venenata non desunt; sed & remedia adversus ea ex herbis in promtu habentur. Alicubi ad ferri & æris fodinas spes apparuit.

Hominum pro vastitate regionum numerus exiguus, sed corpora robusta & morbis raro subjecta; quia continuo venatu & labore, ut & saltatione fere quotidiana exercentur, & ita cibos, quamvis viles & insulsos, bene digerunt: famem tamen ad tertium aut quartum diem, etiam insidiarum aut venandi causa tolerant: cutem ita assuefecerunt, ut pulicum & insectorum aliorum morsus, aut non sentiant, aut negligant, & in terra nive aut glacie plena seminudi cubent. Sarcinas ingentes portant, mulieres plerumque, quantas tres viri Europæi non gestarent. Iter 300, vel 400 leucarum, belli aut venationis causa, longius illis non videtur, quam Gallis via, qua Parisiis Aurelianum itur. Fœminæ licet gravidæ nihil remittunt ex labore, & enixæ ad omnia officia domus statim redeunt: gibbosi aut alio vitio debiles rarissime inter eos conspiciuntur. Fatigati aut ægrotantes balneo calidissimo & fricatione vires recipiunt; dolores membrorum inci-

ſione, expreſſione ſangvinis, & unctione leniunt & ſuperant. Decocta ex corticibus, febrium & aliorum, ſi qui ſunt, morborum remedia præbent; variolis tamen nulla quærunt. Impoſtores inveniuntur, qui violenta tractatione, multisque præſtigiis, neſcio quid, decumbentibus extrahere & evellere ſe fingunt, dum domeſtici commeſſationi & ſaltationi ſuperſtitioſe indulgent. Narrat Autor ſe quoque pro medico habitum, cum infantem morti vicinum baptizaret, qui poſtea convaleſcere inciperet, quod aqua tingi, & cruce ſignari illum vidiſſent; ſed magis, quod venæ ſectione aſthmaticis ſuccurreret, & puerorum vertices novacula tonderet. Veſtitu etiam, antequam Europæi in terras iſtas veniſſent, uſos eſſe conſtat, pellibus nempe ferarum & ſandaliis ex corio ſimplici confectis; norunt enim pelles cerebro animalium infectas, cerdonum arte paratis ſimiles efficere. Telam ex urticarum fibris craſſam texunt, in uſum induſiorum. Fœminæ veſtitus cincturæ genere, a viris diſtinguuntur. Imberbes ſunt hi, nec pilos, niſi in puerorum capitibus, patiuntur, horrentque Europæos barbatos & capillatos. Domi fere nudi incedunt, pueri inprimis & puellæ; tingunt corpora atro vel rubro colore, quidam etiam animalium figuris. Floribus & plumis capita, conchyliis & globulis fictilibus ex porcellana (quam vocant) collum, bracchia & aures ornant. Mores in univerſum fœdi & improbi. Nullus illis pudor eſt, non ætatis, non ſexus reverentia: obſequuntur inverecundiſſime, viri fœminæque, non naturæ ſaltem, ſed & libidini: illoti & ſqualidi præterea tota vita. Matrimonii nullum eſt vinculum; plerique uxores, prout lubet, aſſumunt & dimittunt. Alii polygami ſunt, zeloſi etiam, ut adulteras vel necent, vel auribus naribusque truncent. Fallaciſſimi & mendaciſſimi ſunt, qui applaudere omnibus & aſſentiri in ſpeciem incondita acclamatione ſolent, ſed nihil præſtant, quam quod ipſis lubet, aut utile eſt. Lacrymæ raro commiſerationis, ſæpe crudelitatis argumenta ſunt. Aliquando enim non deſinunt lacrymari & ululare, priusquam hoſtem ulti ſint, aut captivum occiderint. Humanitatis ſignum eſt, cum hoſpitibus crura pinguedine ungunt, aut corpora fricant, aut offas ori ingerunt. Tanta eſt eorum in hoſtes, quos ex mera nocēdi libidine, aut fortitudinis affectatione ſumunt, crudelitas, ut major eſſe non poſſit. Vidit autor, ut pueri captivis fruſta carnis abſciderint, & ſumma cum voluptate & petulantia devoraverint: hi

poſtea

postea arbori alligati, & omni tormentorum genere excruciati, tandem semivivi comburuntur. At morituri eadem ferocia insultant tortoribus, & suæ gentis gloriam laudant, hostilem convitiis incessunt, & ultro ad sæviendum, exprobrata mollitie, provocant. Aliquid gravitatis ostentant, cum consilium ineunt, in quo seniores taciturni consident, dein ordine & meditate verba facientes. Mos est genti, loquentem neminem interrumpere, nec interrumpi sine offensa. Capita, quæ proponuntur, bacillis numerant, & ad singula respondent. Epularum & saltationum, luctus & sepulturæ quædam ceremoniæ servantur. Ingenio sunt docili, ut omnia imitentur. Carbone Gallis fluminum cursum & viæ ordinem descripserunt. Commercia pellibus ferarum & inprimis castorum, quos Europæi pilorum causa magni faciunt, exercent. Cæterum mirati sunt maxime librorum & scripturæ usum, & pyxidis magneticæ; etiam calicem deauratum, quem sacrorum causa circumvehebant monachi. Hunc, cum cætera omnia eriperent, tangere, ut scribit Autor, non sunt ausi: spirituale quid his omnibus inesse rati, imo Gallos ipsos pro spiritibus potius, quam hominibus habentes. Ferramenta summe appetunt: qui iis carent, etiam nunc lapides acutos bacillis insertos, pro cultris habent. Arma patria sunt arcus & sagittæ, tum clavæ, quibus cerebrum hostium comminuunt. Omnia ex insidiis agunt, nihil aut parum aperto Marte: belli utilitas habetur, captura mancipiorum. Nam terræ vastæ & vacuæ acquirendæ nulla est cupiditas. Signum belli & pacis (ut alibi jam notatum est) fistulam faciunt, qua fumus tabaci attrahitur, diversis tamen plumis ornatam: eam a vicina gente pacis tesseram afferentibus amicitiam præstant, eandemque ad alias deferendam eodem effectu tradunt. Religionis deploranda est ignorantia & incuria: Idola non habent, aliquid tamen circumferunt, v.gr. ossiculum, conchylium: quidam etiam corvos & ululas, quæ symbola Dei, vitæ Domini, esse dicunt. Animas superstites esse corporibus fatentur, & in regione amœna, resumtis corporibus, venaturos esse mortuos, nugantur; eaque de causa instrumenta & arma sepultis addunt, horumque utensilium spiritum etiam revicturum esse ajunt. Sunt, qui indumentum aliquod, aut aliud tale, flumini aut cataractæ offerant, & in arboribus suspendant, additis ineptis precibus aut votis, pro successu venationis aut belli. Vetustas traditiones

nes & fabulas vel defendunt, vel præferendas exterorum doctrinæ putant. Ineptissima, quæ & ipsis fabulosa videntur, narrant de fœmina, cœlo delapsa & in mari a testudine recepta: hanc ex spiritu cælitus descendente gravidam, duos fratres ex costis enixam esse, ingenio inter se discordes; eorum alterum mores fratris non ferentem in cœlum rediisse, eumque esse, qui tonitrua edat, & fulmina in odiosum fratrem vibret. Eandem fœminam alio partu homines edidisse, qui terras impleverint. De origine itaque gentis frustra cum iis agitur, nihil plane relatu dignum aut non absurdissimum referentibus, & meliora docentes in speciem quidem audientibus, sed postmodum acerbe irridentibus. Ita animati, difficillime, autore sic judicante, ad Christianismum converti possunt. Alias aversionis causas & inter eas linguarum addiscendarum difficultatem, recenset autor; alias imputat Batavis & Britannis, qui missionariorum fidem apud Barbaros elevent; tum ipsis Missionariis, qui de modo catechizandi inter se non conveniant. Superesse igitur, ut in potestatem redacti ad religionem vi compellantur, nisi singularis quædam gratia & miraculorum editio a Deo accedat. Verum hæc ad sacrarum literarum normam, & primitivæ Ecclesiæ mores examinantibus, longe alia methodus ad religionem seu Evangelium Christi prædicandum probabitur. Interest enim, qua puritate id proponatur, omissis, quæ fundamento carent, aut ei sunt adversa. Alii etiam mores docentium, alii omnium, qui in istas terras evagantur Christianorum, requirerentur, ne fidem doctrinæ pravitate vitæ corrumpant. Interim legentibus has descriptiones, agnoscenda est summa istarum gentium miseria, & nostrarum, si cum illis comparetur, felicitas. Ea tamen si, ut plerumque fit, abutamur, non potest non major pœna, justa DEI ultione, eos manere, qui in tanta veritatis luce & disciplinæ sanctitate, sub Christiani nominis larva, barbaricis vitiis inquinantur.

JOH. JACOBI HOFMANNI LEXICI universalis continuatio, duobus tomis comprehensa.

Basileæ apud Joh. Hermann. Widerhold, anno 1683. in fol.

ETsi in tanta librorum copia, *novum* ceu vocant *Lexicon* conscribere, non tam ingenii quam laboris magni res est; tamen ideo laborem

borem diversis sic rebus in unum volumen colligendis insumtum contemnere velle, aut inutilem censere, minus æquum esse videtur. Nam opera talis studiosæ juventuti librorum inopia laboranti, aut forte etiam autores probos ignoranti, non tantum prodest, eorumque defectum supplet quasi; sed & jucundo laboris compendio, viam ad πολυμαθείας studium ostendit. Inde Græci & Latini jam olim sua *Onomastica*, & varii generis *Lexica* compilare aggressi sunt: quos in hac parte imitari, & antiquis paria præstare multi recentiores ausi sunt. Inter hos merito suo censendus venit *Joh. Jacobus Hofmannus*, *Græcæ Linguæ in Academ. Basileensi Prof. Publ.* vir clarissimus: qui, cum ante hoc sexennium *Lexicon universale, Historico-Geographico-Chronologico-Poetico-Philosophicum edidisset*, illudque emtorem invenisset facilem; non pigratus est nuper *Continuationem* ejus per *duos tomos*, alphabeti ordine *digestam* lectori exhibere. In qua præter res jam nominatas, collegit *historiam animalium, plantarum, lapidum, metallorum, elementorum, rerum astricarum, præcipue hominis, negotiorumque ejus, in omni ætate, sexu, conditione, ævo recentiori, medio & veteri.* Autores, unde hæc omnia desumsit, non dissimulat. Inprimis Caroli Du Fresne Glossarium, Bocharti Hierozoicon, Salmasii, Casauboni & similium polyhistorum notas in diversos autores crebro allegat, ut, qui plura ex horum commentariis noscere velit, fontes non ignoret.

NOUVEAUX DIALOGUES DES MORTS,

id est,

Novi mortuorum dialogi.

a Paris, 1683. in 12.

SCripserat jam olim *mortuorum dialogos* Lucianus, quibus philosophorum, regum ac tyrannorum, divitum, robore corporis & forma præstantium, pauperum item & afflictorum sortem apud inferos perstrinxit, & Crœsum cum Plutone de divitiis, Plutonem cum Mercurio de hæredipetis, cum Terpsione de communi fatorum lege, Zenophantem cum Callidemide de iis, qui insidias vitæ alterius struunt, ut opes consequantur, disserentes: Charontem autem cum Mer-

curio, neminem navem conscendere ferentes, nisi sarcinam omnem abjecerit: Alexandrum, Hannibalem: & Scipionem certamen gloriæ rerum gestarum ineuntes introduxit. Eandem rationem secutus auctor libelli hujus gallici, quem Luciano nuncupavit, satyricam ejus indolem in isto expressit, veterum inter se, & cum modernis, nec non recentiorum inter se & cum priscis sermones fingens, quibus vanitas omnis potentiæ & scientiæ ob oculos ponitur. In primæ classis, quæ veteres inter se committit, *primo* dialogo Alexandri Magni fortitudinem & famæ cupiditatem exagitat Phryne luxuriosa fœmina; in *secundo* Milonis Crotoniatæ robur elevat Smindirides mollis Sybarita; in *tertio* Didonis famam a Virgilio sparsam sugillat Stratonica; in *quarto* Aristotelis molestum philosophandi genus improbat Anacreon; in *quinto* Homeri fabulis implexis mysticisque suas præfert Æsopus; in *sexto* Athenais exemplo suo Icasiæ ostendit, quos fortuna facere soleat ludos. In secundæ classis, qua veteres cum modernis colloqvuntur, *primo* dialogo Petrus Aretinus Imperatori Augusto suggerit, argento a Poetis elogia sibi comparare principes; in *secundo* sexum suum infirmiorem esse, quam qui juvenum amori resistere possit, Sappho queritur apud Lauram: quæ tamen superiorem se semper fuisse inde probat, quod cum Sappho laudes amasii sui cecinerit, ipsa assiduis Petrarchæ celebrata fuerit carminibus, utrum vero præstet amore invadi an aggredi, ambæ disquirunt; in *tertio* Socrates Montano persuadet, non minori virtutum gradu hodie ac olim mortales præstare; in *quarto* Hadrianus placidam suam mortem, quam ludibundus obiit, Catonis Uticensis excessui præfert, animosioremque fuisse affirmat: Margaretha autem Austriaca Hadriano se præferendam arbitratur, quæ imminentem mortem lepidis jocis naufraga excepit; in *quinto* Erasistratus numerum ætate sua decedentium, antequam circulatio sanguinis inveniretur, haud majorem fuisse eo, qui quotannis post inventas tot novas anatomicas & physicas rationes tantum non increscit, Harveo exprobrat; in *sexto* Berenice Cosmum II de Medicis querentem, astrum quod ab ipsius nomine Galilæus Mediceum appellaverat, a multis amplius non ita vocari, sed Circumjovialium nomine venire, solatur indignitate fati, quod ipsius etiam experiatur coma: ac immortalitati nominis ne ista quidem ratione satis consuli, si istud astris inseratur, admonet.

In

In tertiæ classis, quæ recentiorum umbras loquentes fingit, *primo* dialogo Anna Britanna, quæ post mortem Caroli IIX Galliæ Regis successori Ludovico XII nupsit, gloriam continuati imperii & ambitionem potiorem putat amore, quo ducta erga Ducem Suffolciensem Maria Angla post obitum Ludovici XII Regis Galliæ in istius se matrimonium accipi passa est; in *secundo* Erasmus omnem gloriam Carolo V, & magnitudinem nominis detracturus, quam ab aliorum infirmitate & sua fortuna profectam affirmat, veram laudem in propria virtute consistere docet: cui Carolus respondet, ingenii animique dotes æque ac opes & potentiam, casu & felicitate nascendi ac cerebri formatione contingere hominibus; in *tertio* Elisabetha Angliæ Regina summam oblectationem mortalium in eo consistere, si quis non plene potiatur ea re, cujus tamen potiundæ causa omnia agit, Duci Alençonio, tum ipsius, tum suo exemplo demonstrat: quum & ipse aliquot regnorum cupiditate ductus nullum eorum consecutus fuerit; & ipsa aliquot matrimonia summopere expetita rejecerit, quibus tamen animum prius applicuisset; in *quarto* Gulielmus Cabestanus stultitiam mortalium in eo potissimum consistere, quod nemo se respiciat & quivis alterius facta pro stolidis habeat, Alberto Friderico Brandenburgico suo ipsius exemplo persuadere studet; in *quinto* Agnes Sorella proprio etiam exemplo, amorem erga fœminas utilem sæpe imperiis & salutarem extitisse, Roxelanæ ostendit; quæ rationem Agneti exponit qua & ipsa Sultano imperarit; in *sexto* Johanna I Neapolitana, futurorum sollicita ab Anshelmo admonetur, ne quærat scire fata recondita, Babyloniosve ne tentet numeros.

EPISTOLÆ ET VITA DIVI THOMÆ Martyris & Archiepiscopi Cantuariensis, nec non epistolæ Alexandri III Pontificis, Galliæ Regis Ludovici septimi, Angliæ Regis Henrici II, aliarumque plurium sublimium ex utroque foro personarum; Concernentes Sacerdotii & Imperii Concordiam: in lucem productæ ex MS. Vaticano, opera & studio F. Christiani Lupi, Iprensis, Ord. FF. Erem. S. Augustini, S. Theol. in Alma Lovaniensi Universitate Doctoris, ac Regii Primarii Professoris.

Bruxellis Anno 1682. in 4.

Thomæ

Thomæ Beckeri, e Regio Henrici II Cancellario Cantuariensis in Anglia Archiepiscopi, ob insolentiam Regiæ Majestati gravem exautorati, & tandem quidem post sexennе exilium restituti, sed eodem anno per sicarios interempti, & ab Alexandro III, cujus autoritatem summa pertinacia adversus Regem suum propugnaverat, in Martyrum & Sanctorum numerum relati vitam, præter Eduardum Cantuariensem, cujus epitome apud Surium in vita Sanctorum ad 29 Decembr. legitur, adhuc alii quatuor coætanei Scriptores, nimirum Heribertus de Bosham, Gulielmus Stephanides Cantuariensis, Johannes Sarisberiensis, & Alanus Abbas Deobesberiensis posteritati commendarunt. Et ex his quatuor Autoribus, quorum nomina suis ubique locis annotata sunt, nescio quis, qui in Heriberto & Wilhelmo tædii matrem nimiam prolixitatem, & in reliquis duobus exprimendæ veritatis novercam succinctam brevitatem, se animadvertisse præfatus est, quadripartitam historiam confecit, eamque tribus libris comprehendit, quorum primus vitam Thomæ a pueritia usque ad exilium transactam, secundus res in exilio gestas, & tertius cum suis appendicibus ejusdem in Angliam reditum, recrudescentia inter ipsum & Regem dissidia, & ultimum vitæ exitum, nec non gesta post mortem, & discipulorum catalogum aliaque nonnulla ad historiam hanc spectantia enarrat; in quo quatuor Autoribus prædictis testis quintus Benedictus Abbas S. Petri de Burgo (cum is quoque de vita, passione & miraculis Thomæ commentarium scripserit) accedit. Hanc Thomæ vitam plurimæ ejusdem, nec non Alex. III Pont. Rom. Ludovici VII Galliæ R. Henrici II A. R. & aliarum illustrium personarum, Ecclesiasticarum pariter & politicarũ, ad hæc certamina pertinentes epistolæ, quæ pleniorem de Thomæ vita notitiam suppeditant, quinque libris digestæ excipiunt, quæ omnia ex Vaticana Bibliotheca nunc in lucem protrahi curavit Christianus Lupus, codicem hunc Romæ quondam a se exscriptum notis suis & scholiis illustraturus, nisi vis major propositum hoc intervertisset. Nam in edendo hoc Vaticano & alio quodam Cassinensi volumine, cujus mentionem in Actis nostris mense proxime elapso fecimus, adhuc occupatum mors invasit. Quid autem in hac Thomæ vita & subjuncta epistolarum sylloge contineatur, locupletissimus index subministrat.

G.G.L

PETRI DANIELIS HUETII LIBER DE origine Fabularum Romanensium, ad Joannem Renaldum Segræsium, ex Gallico Latine redditus a Gulielmo Pyrrhone Prof. Regio, & Huetii libris de interpretatione & optimo interpretandi genere annexus:

prostat Lipsiæ ap. Fritschii hæredes, in 8. A. 1683.

FAbulas Romanenses, seu fictas casuum amatoriorum historias, prosa oratione, ad voluptatem & utilitatem legentium conscriptas, non novum seculi inventum esse, *Autor celeberrimus* in hoc libello eruditissime demonstravit. Nam postquam earum definitionem, finem, & discrimen a poematibus epicis, & historiis fabulosis aut plane commentitiis, ac fabulis mythologorum accurate tradidisset; illarum inventionem orientis populis, hoc est, Ægyptiis, Arabibus, Persis, Syrisque acceptam referri debere pronuntiat: quia plerique horum, qui inter priscos fabulæ Romanensis artifices laudatissimi extitere, ut Clearchus, Jamblichus, Heliodorus, Lucianus, Achilles Tatius, Joannes Damascenus fabulosæ Barlaami & Josaphati historiæ autor, aliique ab illis populis originem traxerunt suam. Itaque terras illas Romanensium natale solum fabularum, potiori jure appellandas esse, quam Græciam, in quam tantum fuere translatæ, concludit. Inde progressus, probat figmentorum & figurarum amantes semper Ægyptios & Persas fuisse: apud Arabes poeseos itidem amantes, natam esse versuum simili sono (quos Leoninos vocant) concludendorum artem: Indos etiam Persis vicinos figmentis poeticis & Romanensibus magnopere delectatos esse confirmat: in Syria parabolico dicendi generi sanctitatem a Dei autoritate accessisse; quippe qui in S. Scriptura per figuras & ænigmata, voluntatem suam Prophetis aperuerit: Salomonem inde parabolarum non solum studiosum fuisse, sed Scripturam S. allegoriis & ænigmatibus plenam esse: librum Psalmorum, Proverbiorum, Ecclesiastica & Cantica Canticorum opera poëtica esse: Jobi autem librum non esse parabolam ab Hebræis excogitatam, contra quosdam Talmudistas contendit, rejiciens simul eorum opinionem, qui historiam Estheræ & Judithæ eodem censu habendam putarunt.

Primis sic fabularum Romanensium fontibus reclusis, viam & ductum scrutatur, quo sese per Græciam & Italiam diffuderunt, quique illam artem, compositis scriptis Eroticis, excoluerint primum, tradit. Heliodorum Fabulæ Rom. autorem inprimis laudat: Gyraldi errores circa fabularum istarum argumentum admissos notat, desiderans in Italorum Rom. fabulis artificium. Qui ex Græcis artem Romanensem excoluere, ipsamque rudem, uti erat apud orientis populos, & incultam ad meliorem formam speciemque traduxere, recenset. Qua occasione Sybariticas fabulas describit, &, ut Romani, postquam ab Imperatoribus regi cœperunt, fabularum Romanensium amœnitate capti fuerint, declarat.

Ingruente autem postea in imperio Romano cum populis septentrionalibus barbarie, ars hæc quidem obscurata & corrupta fuit: sed Galloligures literas & poemata magis, quam Franci cæteri excolentes, illam in lucem protrahere iterum studuerunt: & cum *sermone* in componendis operibus suis uterentur *Romano*, corruptiori licet, *fabulæ* istæ dictæ sunt *Romanenses*, & *Romanisare* significavit versificare & narrare prosa oratione. Fabularum igitur Roman. recentiorum compositionem Francis deberi, & ab his Italiam & Hispaniam accepisse ostendit, rejecta Cl. *Salmasii* opinione, qui Hispanos ab Arabibus accepisse illam tradidit. Hinc cum barbaras gentes etiam fabularum Rom. studio deditas fuisse disseruisset, in causas inquirit, unde nata omnibus hominibus in fabulas & scientias propensio; & cur *Fabulæ Romanenses*, quæ originem ex falsis historiis habent, magis delectent, quam aliæ doctrinæ: cur Franci in hac arte fabularum principes, & quid de earundem usu statuendum sit, luculenter exponit. *Honoratum Urfeum* laudat, qui primus in Gallia hujusmodi fabulas barbari sermonis corruptela exemit, certisque iterum regulis adstrinxit in opere egregio *Astraa* indigitato; cui adjungit virginem in hoc genere eruditionis excellentem, *Dominam de Scudery*, quæ illustrem Bassam, Cyrum Magnum, nec non Cleliam composuit. Tandem Tractatum hunc eruditissimum voto finit, quo moderni Regis Galliæ Ludovici XIV gloriæ consultum cupit, ut mirabilis regni ejus historia æque sublimi stilo, æque accurata rerum ab illo gestarum observatione, eademque mentis sagacitate describatur.

IDEA

IDEA DE EL BUEN PASTOR copiada por los S. Doctores, representada en Empresas sacras; por el Padre Francisco Nunnez de Cepeda de la Compannia de Jesus,

hoc est,

Idea boni Pastoris delineata a sacris Doctoribus, & repræsentata in Emblematis sacris a Patre Francisco Nunnez de Cepeda e Societate Jesu,

Lugduni, 1682, in 4.

Quinam Scriptores Emblematis inventis illustratisque & hoc & superiore seculo inclaruerint, mense Januario præsentis anni p.18 indicavimus. Itaque ἄνευ προοιμίων nunc illis adjungendum suo merito censemus Franciscum Nunnez de Cepeda, Jesuitam Hispanum. Nam & hic Emblemata anno proxime elapso edidit, sed Sacra, quippe in quibus, quæ bonum pastorem v.c. Pontificem, Archiepiscopum, Episcopumque deceant dedeceantve, non obscure adumbratur. Cum vero Emblema quodvis illustramenti aliquid sibi jure quodam vendicet, autor hæc sua ipsius Emblemata, quorum XL in universum sunt, discursibus Hispanicis iisque Sacris, Moralibus, Politicis & Oeconomicis, certe ad gubernationem Ecclesiasticam valde conducibilibus, illustravit. Margini etiam paginarum latiusculo Doctorum tum veterum, tum recentiorum adscripsit verba, e quibus & tota Boni Pastoris Idea ab eo est desumta. Cæterum inter ea, quæ minus convenire boni Pastori Autor innuit, etiam morem illum Emblemate VI refert, quo Episcopi opum ampliorum gratia ab Ecclesia transeunt ad Ecclesiam, & Emblemate XXXIX famosissimum illum Nepotismum; ubi & hæc Bernhardi allegat verba: *Non sibi de bonis Ecclesiæ ampla palatia fabricet, nec loculos inde congreget, nec in vanitate aut superfluitate dispergat. Non extollat de facultatibus Ecclesiæ consanguineos suos, aut nepotes (ne filias dixerim) nuptui tradat &c.*

HIERONYMI RUVEREI pueri decennis Carmina.

Ratisponæ Ann. 1683. in 8.

PLeroſque divinioris ingenii pueros, *ἀνδρόπαιδες* Græce dictos, aut vivaces minime eſſe, aut in ipſa annorum *ἀκμῇ* hebeſcere, multorum ſeculorum teſtatur experientia. Multos certe Jacobo Narchiſetto Piſaurenſi, qui & ipſe præcocis oppido erat indolis, videas ſimiles, de quo *Janus Nicius Erythræus*, vel *Julius Victor Roſſus*, in Pinacothecæ ſuæ lib. I, n. LXXII: *Verum*, inquit, *tot tantisque initiis non ſatis viſi ſunt exitus reſpondere; expectabatur enim ab eo immenſa, infinita, & ſupra humani vires ingenii eruditio; ſed tanquam ſi natura deſperaret, poſſe ſe operi, quod inchoaverat, par faſtigium & culmen imponere, hominem prope deſeruit. Ut verum illud apparuerit, quod a viro ſapientiſſimo traditur, non poſſe in eo eſſe ſuccum diuturnum, quod nimis celeriter maturitatem eſt aſſecutum.* Quanquam autem excellentia ingenia vivacia raro ac durabilia eſſe compertum habeamus, nonnulla tamen viguiſſe ſatis diu, fructusque ſuos, quos minati in herbeſcente ætate jam fuerant, feliciter protuliſſe, non una docent exempla. Duravit enim portentoſum illud ingenium, *Hugo Grotius*, qui octennis carmina ſcripſiſſe dicitur; duravit *Claudius Salmaſius*, obſtupeſcendæ & ipſe indolis puer, qui anno decimo ætatis necdum exacto Nilum de primatu Papæ recenſuit atque emendavit; duravit etiam ſuperiore ſeculo *Hieronymus Ruvereus*, quippe qui puer decennis ſcripſit carmina, par tribus fratribus Canteriis, Petro, Jacobo, & Andreæ, qui decennes in omni diſciplinarum genere ad miraculum usque eminuerunt, & Pico Mirandulano, qui decimo quoque anno Philoſophiam omnem præter tot linguas didicerat, cujus & æmulum Ruvereus ipſe in carmine XV ſe profitetur. Poſteaquam enim vix decennis, Simlero, Cardano, & Gyraldo teſtibus, feliciſſima carminum vena orbem literarium reddidiſſet attonitum, ſuccedente tempore non defecit, quin magis indies magisque inclaruit, cumque Tolonenſis factus eſſet Epiſcopus, ſucceſſor Arragonii Cardinalis, qui ab Archiepiſcopatu Taurinenſi ſe abdicaverat, a Principibus Sabaudiæ fuit expetitus; qua Epiſcopali in dignitate & Emanuelis Philiberti Orator in Galliis extitit. Cardinalitio tandem mactatus pileo, Pontificii faſtigii ipſius poſt Urbani VII obitum fuit Candidatus. Erat autem familia ejus (ne & hanc taceamus) ex ampliſſimis vetuſtiſſimisque totius Italiæ, eaque gentilitia quercu inſignita, unde *Roborei* quoque ac *Quercentes* ejus ſurculi cum Hieronymo hoc fuere cognominati.

Habuit

Habuit ea sedem Taurini jam olim seculo post C.N. octavo; sed gente aucta postmodum, colonia ex subalpinis in Liguriam missa, Saonam sibi patriam elegit, unde & in reliquam Italiam diffusa late est. Mox Urbinorum Ducum per nuptias inserta familiæ, Ducatum Urbinensem varia tenuit fortuna, deditque Romæ non duos tantum Pontifices, sed & octo Cardinales, Urbis item præfectos & Vici novi dominos, imo & alia dedit tam Latio quam patriæ ornamenta longe illustrissima. Quod Ruvereum hunc attinet, is patrem habuit Lælium Ruvereum, Patritium Taurinensem, Paduamque ab eo puer missus divinum præcoxque ingenium mox probavit omnibus; emensusque concitatissimo cursu artium humaniorum circulum, anno ætatis nono de artium omnium inter se consensu peroravit ac disputavit, carminaque postdeinceps, decennio necdum completo, applaudentibus Musis, conscripsit. Edita hæc A. 1540 Papiæ fuere a Maria Symonetta: Sed tanta illorum ex eo tempore fuit raritas, ut, cum legentes quosque rapere in admirationem potuerint, descripserint ea plurimi, descriptaque tanquam rarissimum quoddam cimelium Bibliothecis suis inseruerint. Quæ postquam inter suas quoque chartas repperisset Vir magnæ dignitatis atque eruditionis *Joachimus Hartliebius*, impetrare a se haut quivit, quin eriperet ea tenebris, & velut ab orco in publicam lucem hoc anno revocaret. Neque enim ludicra & inepta, cujusmodi puerorum decennium esse solent, isthæc Ruverei sunt carmina, sed miram ubique venæ poeticæ facilitatem, verborum item ornatum delectumque, ac fertile inventionum ingenium, imo masculum aliquem spiritum, certe aliquid supra ætatem illam, præ se ferentia. Sunt autem varii ea generis, epici puta, elegiaci, Sapphici, Phalæcii, aliorum; divisaque sunt in Heroica (quorum primum est ad Paulum III Pont. Max. tempore belli Turcici conscriptum) literaria, domestica, amatoria, catholica & rustica; quibus & epica, nescio cujus, ad Ruvereum in Italiam venturi subjuncta est epistola.

JOHANNIS MARCKII de Sibyllinis Carminibus Disputationes Academicæ duodecim.

Franekeræ, A. 1682. in 8.

AUtoritatem Oraculis, ut usurpantur, Sibyllinis non tribuerat solum, sed defendendam peculiari etiam tractatu superioribus annis susceperat Cl. Vir Isaacus Vossius. Quo ipso & diluere opinionem eorum voluit, qui piis illa & officiosis fraudibus accensent, & simul ostendere, quod fieri non possit, ut a Christianis illa sint conficta, cum non tantum priusquam Christianorum in seculum exiret nomen, sed & diu antequam nasceretur Christus, & lecta & celebrata pene fuerint ab omnibus: quodque si non præcipua, at certe magna fuerint causa, ut innumeri, non ex Judæis modo, sed & ex gentibus, relictis prioribus sacris, ad Christianorum castra se reciperent. In eorum tamen fide & integritate tuenda sic versatur, ut additamenta nihilominus, quæ majorem istorum librorum partem constituant, a Christianis esse conficta, libenter agnoscat. Atque hæc ipsa Dissertatio est, quæ ansam Doctissimo Marckio dedit, Theologiæ Doctori Groningensi, accuratius inquirendi in horum versuum originem, & eruditas hasce Disputationes Academicas de illis conscribendi; sub quarum calcem dilucide satis & nervose expressit, quid in Dissertatione dicta, omnibus probe consideratis, improbandum existimet.

Primum autem, non levis momenti hanc esse controversiam ubi docuisset Autor, Judicium exponit Christianorum, cum veterum tum recentiorum, de Sibyllinis hisce varium omnino atque diversum: Historiam deinde repetit Sibyllarum veterum: tertio, historiam ut & fata Sibyllinorum carminum; idque tribus Disputationibus prioribus. Quarta Disputatio Judicium de hoc Carminum genere Autoris exhibet, quinque thesibus comprehensum. Quarum prima est: Carmina hæc neque a Sibyllis omnibus & singulis, neque ab aliqua earum profecta sunt, quæ sub hoc nomine apud Gentiles celebres fuerunt. Secunda: Neque eadem Carmina θεόπνευστα, aut a Dei Spiritu inspirata fuisse censenda sunt. Tertia: Neque prout hodie extant, ante Christi nativitatem, a quibuscunque tandem hominibus, scripta fuerunt; sed a Christianis post prædicatum passim Evangelium. Quarta: Incerto interim & præciso temporis puncto, & Auctoris secta, ita ut maxime probabile sit primis post natum Christum seculis a diversis hæc carmina composita, collecta, adaucta esse: non negari interim alio loco monet, immixta iis esse nonnulla, quæ Sibyllis jam ante Christi adventum fuerant adscripta, & sub earum tum nomine

mine sive falso, curantibus id ex Prophetarum prædictionibus Judæis, sive etiam vere per traditionem a Judæis haustam, apud Gentiles legebantur. Quinta: Unde neque ad firmanda fidei dogmata, neque ad convincendos Gentiles quicquam ea valent, sed placita tantum istius ætatis leviter nobis aperiunt, *multis* adeo *γνησίοις* celebrium in Ecclesia Doctorum *scriptis longissime postponenda.* Atque hinc nullo intelligitur negotio, quænam sint Disputationum octo reliquarum argumenta; quippe quæ in thesibus recitatis ordine singulis explicandis, confirmandis, atque vindicandis occupantur.

Cæterum, ubi post adducta & stabilita sententiæ suæ firmamenta ad examen eorum descendit, quæ pro Sibyllinorum ingenuitate adseruntur, ista ad duo præcipue capita, autoritates & rationes, retulit. Priores observat partim esse domesticas, a veterum Christianorum: Justini Martyris, Theophili Antiocheni, Clementis Alexandrini, Origenis, Constantini, Lactantii, Augustini, &c. testimonio, & hinc fluente Ecclesiæ traditione petitas; quæ propterea apud recentiores tantum reperiantur: partim exoticas, quas ex Josephi, Hesiodi, Ovidii, Lucani, Taciti, Suetonii, Ciceronis, Virgilii denique & maxime scriptis producant juxta cum nostræ ætatis scriptoribus antiqui etiam Patres. Rationes vero peti potissimum ab interdicta Christianis Sibyllinorum lectione, & perversorum hominum ac veritatis inimicorum in ea odio, a perpetuo & communi Sibyllinorum usu, ab argumenti in multis cum veteribus Sibyllinis consensu, ab impletis, quæ in illis continentur, nostro tempore vaticiniis: quas & similes rationes cum Baronio, Possevino, Gyraldo, Mornæo, Montacutio, Erasm. Schmidio, & aliis, quorum ingenia idem argumentum exercuit, quique Disputatione I, thes. VI citantur, urget etiam Vossius. Traditionum itaque de Sibyllis vanitas quo patescat magis, ad ista cuncta tum generaliter, tum ad singula quæque speciatim respondet Autor disertissimus. Erratorum etiam, quæ in Sibyllinis hisce continentur, catalogum texit, & quamvis Manichæismi ea absolvere non dubitet; exempla tamen de communi animarum custodia ad diem judicii, de igne ultimi diei purgatorio, de expectanda paradisi terrestris habitatione, de regno Christi Chiliastico, de Sanctorum pro ipsis damnatis efficaci intercessione, testari satis arbitratur, quod a Dei spiritu sint profecta minime. Quæstionem præterea, num ad Reformationem

per

per D. Lutherum institutam Sibyllina respiciant, & num illa ex Carminibus hisce possit extorqueri, negat argumentis non ficulneis subnixus. Christianos tandem, ut Christianæ fidei consulerent, & cœcæ gentilitatis conversionem promoverent, sub Sibyllarum nomine Evangelii mysteria vulgasse concludit.

Disputationibus hisce, Spicilegii titulo, breve examen subjungitur Dissertationis cujusdam Gallicæ, quam de Oraculis Sibyllinis ante quadriennium & quod excurrit, Parisiis edidit Johannes Crassetius Jesuita, & cujus mentionem Huetius facit in Demonstratione Evangelica. Quam parum vero rhetoricationibus suis Gallicis Sibyllina Carmina hic juvet scriptor, quodque Dissertatio ista ex Societatis erga Protestantes odio potius, quam ex veritatis indagandæ studio promanaverit, succincte in eo ostenditur.

CRITIQUE GENERALE DE L' HISTOIRE du Calvinisme de Mr. Maymbourg. Seconde edition Revûe & beaucoup augmentée.

id est,

Critica generalis Historiæ Calvinismi scriptæ a Lud. Maymburgio. Editio secunda, revisa & multum aucta.

Villæ Francæ A. 1683. in 12.

DEdimus mense Martio nupero excerpta historiæ Calvinismi, Ludovici Maymburgii, ea, quæ nobis cordi est, fide, suspensoque judicio nostro: dedimus etiam ad eundem modum, contenta notarum in illam historiam, Hagæ editarum. An eidem autori Critica hæc generalis debeatur, definire non possumus; etsi scribendi genus non abludit. Et hic quoque Theologicas disputationes ut plurimum declinat, atque ut ille fecerat, ad alium scriptorem, optimo stylo valentem & celebrem provocat, qui refutationem luculentam & ordinatam meditetur. Itaque & hic inter velites esse vult, laxiori ordine cum adversario congrediens. Congessisse autem se fatetur in epistolas, quæ opponenda censeret Maymburgio, sed magna cum asseveratione,

veratione, mentem suam minime fuisse, ut epistolæ istæ ederentur, seque obstupuisse, cum Amici præpropero studio, sub titulo *Criticæ generalis*, literas suas typis expressas legeret. Multa non scripturum; mutaturum alia fuisse, si edenda scribere cogitasset: Sed quoniam res eo devenerit, neque sibi jam evulgata supprimere liceat, revidisse & auxisse scripta, atque correxisse quædam, ita ut secundam hanc editionem jam pro opere suo agnoscat, rejectis, quæ in priori leguntur, nisi in hac repetita inveniantur. Libertatem tamen, quæ epistolis familiaribus naturalis est, tollere nequivisse, eoque nomine excusari se petit, nec fraudi sibi esse, si non ad omnia responderit; neque enim concedi, quæ prætereuntur. De stylo, quanquam essent, quæ taxari possent, noluisse cum Maymburgio altercari; factum id ab aliis, & a quodam ex sociis ejus Jesuitis, cui nomen *Bouhours*, Scire se, non responsurum esse Maymburgium, jam pridem publice professum, nolle cum anonymis colluctari. Sed sic putat eum non habiturum, cum quo depugnet; neminem enim tam temerarium fore, ut nomen suum edat, cum summo periculo omnibus imminenti, ab acerrima inquisitione, quam in Gallia contra scriptores diversarum partium institutam esse queritur. Combustum jam carnificis manu fuisse refutationem historiæ Arianismi a Maymburgio scriptæ, nec mitius cum autoribus ipsis actum iri, si deprehenderentur; Itaque stultum fore, scribere aperte adversus eos, qui possunt proscribere.

Epistolarum in universum sunt 27, inter quas duæ priores locum communem tractant, quam difficile scil. sit, veritatem ex historicis eruere, cum nemo fere odio adversariorum aut studio suorum vacet: Itaque Pyrrhonismo vel maxime in lectione historiarũ opus esse putat. Deinde adversario affectuum intemperantiam objicit, eamque probare conatur, tum ex elogiis, quibus Heroës suos, Protestantium persecutores, ultra modum & meritum extulerit, (quorum nævos Criticus hic non celat,) tum ex assuetudine & habitu quodam, concionandi licentia quæsito. Hac occasione commemorat, infeliciter ei cessisse, quæ adversus Novi Testamenti versionem *Montensem*, sive *Jansenisticam* hæreseos convincendam declamasset, nam & acerrime refutatum fuisse, sicut & Malletum quendam, (cujus meminit Ep. 26;) & non multo post eandem versionem, tam atrociter exagitatam, approbationem ipsorum quoque Jesuitarum consecutam esse. Blandi-

menta deinde Maymburgii in aulam Regiam, cum detrimento autoritatis Pontificiæ, & quacunque alia occasione affectata, & e longinquo accersita aut detorta insectatur. Cæterum quæ vel de rigore, quem nunc Reformati in Gallia cœtus patiuntur, vel de excusatione bellorum superioris seculi, & pro apologia Doctorum, qui reformationis auctores fuerunt, dici possunt, eadem fere sunt, amplius tamen elaborata & deducta, ac quæ in autore *Notarum* supra allegato reperiuntur. Ad malignam laudem Luthero a Maymburgio tributam, quasi modestior in retinendis quibusdam dogmatibus, aut ritibus, quam Reformati, fuisset, ita respondet, ut ex rigore & asperitate, sive siccitate religionis, quam adversarius objicit, gloriam quærat ejectarum funditus corruptelarum. Irridet distinctionem Pontificis, & Sanctæ sedis, quæ ad operiendum inter Clerum Gallicanum & Pontificem in multis & maximis rebus dissidium inventa est. Refert Ep. 13, ut decretum Parlamenti Parisiensis d. 24 Sept. 1680, in causa monialium Charonnensium publicatum, Romæ exceptum sit, Excommunicatione nempe *ipso facto* omnibus intentata, qui id typis vulgarent, describerent, legerent, domi servarent; & injungendo ex plenitudine Apostolicæ potestatis omnibus, id habentibus, ut ordinario loci ad comburendum exhiberent. Adversus hanc Bullam Pontificiam tamen eodem stylo (excepta excommunicatione, & combustione,) reciprocatam prohibitionem a Parlamento emanasse; sicque fundamenta fidei Romano-Catholicæ, a Pontificis infallibilitate dependentis, palam subrui. Eadem epistola narrat damnatum Romæ, d. 16 Sept. 1680 librum *Amadei Guimenii* nomine, a *Moya* Jesuita Hispano scriptum, pro defensione laxioris disciplinæ in moralibus, sive casibus, quam Jansenistæ Jesuitis objiciunt; defensum tamen hunc ipsum librum a *Daniele Campsordo*, cum approbatione Censoris Lovaniensis; in quo inter alia eadem exceptio allegatur, qua Jansenistæ utuntur, non extare scil. in libris propositiones, Pontificis decreto damnatas. Putidum esse ait Ep. 19, quod Calvini sectam, si prematur, ut timidissimam exagitet Maymburgius; nam ex dogmatibus id minime probari, & si nationis hoc vitium sit, commune illud fore cum Catholicis. Spiritum vero sanguinarium nunquam veræ Ecclesiæ indicium fuisse multoties repetit, & Inquisitionis tribunal inauditæ crudelitatis accusat. Antiquitatis argumentum, nullum ait pondus habere, nisi de veri-

de veritate simul constet; at donec de hac definitum sit, temporis prioritate errores juvari non posse, non magis ac Idololatriam, quæ Christianismum multis seculis præcesserit. Ad maculas vitæ Doctoribus Reformatis objectas respondet: etsi vera essent, quæ plerunque per calumnias illis *impacta sunt, id tamen* quod adversarii inde eliciant, minime efficere; *nam neminem tam sanctum* esse, qui non peccet. Invertit dein argumentum, & ex moribus pessimis plurimorum Pontificum & Episcoporum, aut idem, aut nihil, quod veritatem doctrinæ afficiat, sequi contendit. Deplorat conditionem Reformatorum, qui ob culpas singulorum, (posito quod veræ sint,) omnibus privilegiis, toti ecclesiæ indultis nunc exuantur; Et periculosam edictorum regiorum interpretationem, quasi pro temporum ratione stent, aut cadant: sic enim fidem publicam everti, & neminem tutum fore, quamcunque securitatem pactus sit. De potestate Pontificis supra Reges in temporalibus Ep. 24 scribit: etsi Clerus Gallicus & Parlamenta pro regibus stent, graviter tamen argumentatos jam dudum non solum *Leovardum Lessium* in libro, sub nomine *Guilielmi Singletoni* adversus *Vaddingtonum* Britannum, scripto, sed & *Cardinalem Perronium* oratione in conventu procerum Galliæ habita, per quam tunc effecerit, ne condemnaretur publice, quod quidam urgebant, dogma de superioritate Pontificum in Reges temporali. Si enim id fieret, dixisse Perronium, necessario consecuturum esse, & allegatum iri a Protestantibus, quod Ecclesia Romana per aliquot secula capitalem errorem (Papam super Reges evehendo) foverit, atque sic Papa capitaliter errans, non fuerit caput Ecclesiæ, sed hæreticus & AntiChristus; amissuram esse Ecclesiam nomen Catholicæ, nec mansuram templum & sponsam Dei, sed Satanæ. Quomodo se ab hac objectione liberare queant, qui Gallicam sententiam pro regibus, adversus Pontificem, tuentur, videre se dicit non posse; nam si vera illa sit, sequi omnia, quæ Perronius dixisset: si non vera, Gallos schismatis culpa palam teneri. Addit aliud argumentum eodem pertinens, quod nunc in materia Regalium aperte Concilio Lugdunensi contradicatur, licet ei 500 Episcopi, præsente Pontifice & Rege, interfuerint. Refert etiam rejectam esse Bullam Pontificiam nuperam in Parlamento Parisiensi contra 65 propositiones Jesuitarum; cautelam quidem Senatum apponere voluisse, quod condemnationem propositio-

num ipsam non improbarent, sed quod circa formam aliquid desiderarent: veruntamen a quibusdam, quos nominat, effectum, ut clausula hac omissa decretum pure contra Bullam publicaretur.

Infallibilitatem Ecclesiæ & Pontificis Ep. 26 acriter impugnat: inter alia hoc argumento, quod ultimum etiam hujus principium in Scripturis sacris quærendum sit. Nam ne simplicissimum quidem ex plebe crediturum, vera esse quæ Pastor, deinde Episcopus, denique Pontifex de religione statuant, nisi ei dicatur, Deum velle, ut his credatur. Itaque hoc ex Sacris literis, (alia enim revelatio non habetur,) demonstrari debet, atque sic ad ultimum & supremum judicem in rebus fidei recurritur. Sequi inde, non aliud in terris tribunal quærendum, neque quemquam fide & testimonio parochi sui, aut qui ei præficiuntur ex clero, salutem adepturum, sed certum esse debere de iis, quæ credat fide divina ex Scripturis aut earum prædicatione hausta. Multus est in elevanda confessione Eboracensi, quam Maymburgius Historiæ Calvinismi annecti fecit, laudatque ea occasione scriptores quosdam, inprimis *Paionium*, qui argumentatores ex Jansenistis acutissimos, *Arnaldum* cum sociis conticescere fecerit. Corrigit tamen quæ in priori epistolarum editione scripserat, quasi *Episcopus Meldensis* nihil regesserit ad responsiones libro ejus *Expositionum* a Reformatis oppositas. Nondum enim se tunc vidisse tractatum ejus novissimum *de Communione* sub una. Quæ adversus hæc profert, sicut & alia multa, præsertim acerbiora, scientes prætermimus: non tantum, ne litem nostram faciamus, (quod pro instituto nostro minime intendimus) quam quod omitti præstet, si quæ scriptoribus partium studio duriora excidunt, & nobis ea potissimum notanda videantur, quæ alicujus momenti sint, & ad veritatem eruendam, atque genium autorum dignoscendum maxime faciant, aut historiam literariam, sive librorum notitiam juvent.

ABBREGE' DE L' HISTOIRE DU CONCILE de Trente, avec un discours contenant les reflexions historiques &c. Par Pierre Jurieu Docteur & Professeur en Theologie &c.

id est,

id eſt,

Petri Jurici, Doctoris & Profeſſoris Theologi, compendium Hiſtoriæ Concilii Tridentini, cum diſſertatione, continenti conſiderationes hiſtoricas de conciliis, & ſpeciatim de Tridentino, ut conſtet Proteſtantes ad id recipiendum non teneri.

Genevæ, 1682. Amſtelodami 1683. in 12.

HIſtoria Concilii Tridentini ſub *Petri Suavis Polani* nomine dudum edita, ab omnibus fere attribuitur *Paulo* illi *Sarpio*, quem vulgo *Fra Paolo* vocabant, Sereniſſimæ Reip. Venetæ quondam Theologo, & Canoniſtæ, ſcriptis pro illa adverſus Pontificem claro. Non audet tamen autorem Hiſtoriæ iſtius Paulum profiteri Fulgentius, ejusdem cum Paulo ordinis, *ſervorum B. virginis*, monachus, qui vitam ejus deſcripſit. At Sfortia Pallavicinus, e Soc. Jeſ. novam ſuam, quam veram vocat, Concilii Tridentini hiſtoriam manifeſte Paulo oppoſuit, magno molimine id agens, ut illum hæreſis, atheiſmi, & plurimarum falſitatum reum ſiſtat. Romæ quidem præmium ſcriptionis ampliſſimum conſecutus eſt Pallavicinus, Purpuram nempe Cardinalitiam, ſed nec Paulo eruditionis, ſapientiæ & pietatis fama, quæ virum proſequebatur, mortuo plane intercidiſſe videtur, ſed reliqua eſſe, non tantum apud illos, qui Pontifici obſequium denegarunt, ſed & apud aliquos Romano-Catholicos. Egregius ſane Diarii Eruditorum Gallici autor, in actis *menſis Mart. 1665* non veretur ſcribere, *metuendum eſſe, ne legentibus Pallavicini opus, quod Pauli librum ſimul comprehendit, veriſimilius ſcripſiſſe Paulus videatur, licet verius ſcribere potuerit Pallavicinus.* Debetur igitur refutatori, quod liber Pauli, qui oblivione fere ſepultus erat, denuo quaſi reſuſcitatus, in multorum manus pervenit. Sed Juriœus præterea, citatis plurimis Pallavicini locis, oſtendere nititur, ſummo cum detrimento famæ & exiſtimationis Pontificiæ detectas eſſe ab ipſo Pallavicino, dum excuſat, artes vaferrimas, quibus in Concilii convocatione, directione, & exitu Pontifices uſi ſint. Defendit deinde Paulum, breviter licet, adverſus Pallavicinum, & ſcriptorem alium Gallum, autorem tractatus *de arte hiſtorica*, qui Paulo ſcurrilitatem, nullo, ut putat, fundamento objecit: nec morari ſe multum dicit documenta a Pallavicino

cino ex scriniis Romanis, pro refutando Paulo eruta: neque credere vult, reponi ibi, aut produci, si reponantur, quæ rei pontificiæ non conducant: denique si vivo Paulo aliquid objectum fuisset, potuisse eum respondere; sed post annos quadraginta, superstite nemine, qui de factis controversis testimonium ferre possit, impune & vane de plerisque disputari: *semper tamen fidem viri* Romano-Catholici & monachi, pondus *habituram in illis*, quæ adversus suæ sectæ homines & consilia protulerit; accedentibus *præsertim* adminiculis ab aliis autoribus. Hæc & alia hujuscemodi præfationis, sive dissertationis, quæ libro præfixa est, partē faciunt, sed in eadē prolixius agit Autor de conciliis. Exponit primum causas, cur Tridentinū nullo modo obliget Protestantes, & firmat, quæ jam dudum contra illud allegatæ sunt, exceptiones; ut nempe Pontifex in propria causa, & dum potestas ejus in dubium vocabatur, judicare nequiverit; ut Protestantes jam ante concilium præjudicio damnaverit, non decretis tantum, sed & ferro atque igne in eos grassatus, aut ut id fieret, Principes incitans; ut variis artibus Episcoporum suffragia suis placitis accommodaverit; ut denique omnem spem corrigendi errores aut mores præciderit. Impugnat titulum universalis Concilii, cum ne dimidia quidem Christianorum in orbe pars, Romani Præsulis potestatem agnoscat; nec sine petitione principii, de quo controvertitur, dici possit, illos omnes, qui secessionem fecerunt, schismaticos aut hæreticos esse. Quod si quis contendat, occidentalis saltem Ecclesiæ caput esse Romanum Pontificem, ne sic quidem effecturum, ut Concilii autoritas stabiliatur, cum præter Italos & quosdam Hispanos Episcopos, pauci ex Gallia, pauciores ex Germania, ex aliis regnis nulli adfuerint, & tota Gallia Concilii decreta rejecerit; neque postquam in speciem post longum tempus approbasset, ab opinione sua discesserit, quæ cōcilii canonibus semper fuit opposita, & nunc quoque est, in gravissimis articulis Tridenti, vel aperte vel tecte stabilitis, de autoritate Pontificia *supra* Concilia, & Regum majestatem; item de munere Episcoporum. Inde fieri, ut summum illud axioma Pontificiæ infallibilitatis, quod Protestantibus perpetuo objicitur, lubricum, & inane evadat, dum indecisum, aut saltem ab amplissimo Galliæ regno rejectum maneat. Progreditur inde ad examinandum, quæ sit autoritas Conciliorum universalium sive Oecumenicorum, & in ea est sententia, non nisi abusive titulum

hunc

hunc quibusdam conventibus Episcoporum datum esse. Neque enim fuisse unquam, neque futura esse Concilia Oecumenica. Tribus namque ante Constantinum Imp. seculis nullam eorum mentionem aut usum fuisse, licet plurimis & gravissimis hæresibus Ecclesia vexaretur. Quod vero *per accidens, postquam Imperatores Christianismum professi sunt, Episcopi convenerint*, & quorundam conciliorum decreta locum ubique fere habuerint, id non ideo factum, quod universalia essent, aut sua autoritate in rebus fidei definire possent, sed quod dogmata pronuntiassent Fidei analoga. Reprobata vero fuisse aliorum, veluti Hierosolymitani, Antiocheni, Ephesini, Sardicensis, Ariminensis placita, non ob defectum autoritatis Imperatoriæ vel Pontificiæ, sed ob decreta erronea, hæresi vel hæreticis faventia. Rediri itaque ad quæstionem de regula fidei, eamque in conciliis quæri non debere. Disputat etiam, cur solis Episcopis, aut aliquibus ex eorum numero deputatis, jus suffragandi in conciliis tribuatur, & cur admittendi non sint ex Presbyteris, itemque ex populo, viri docti & pii. Quod si hoc locum inveniat, impossibile fore, ut concilium vere universale, ob impedimenta insuperabilia, haberi possit.

Cæterum compendium hoc libros habet octo breviusculos, totidem nempe, quot opus Petri Suavis sive Pauli Sarpii: sed omissæ aut cōtractæ sunt digressiones de controversiis, ordo etiā alicubi immutatus, junctis quæ ob materiam connecti poterant, cum Paulus temporum seriem, ad formam Diarii, secutus sit. Hoc institutum placuit autori, ut plurium usui accommodare posset compendium suum, stylo magis plano & populari, eleganti tamen scriptum, cum Pauli liber abstrusior sit, & doctiores lectores requirat. Versionem Gallicam, quæ jam olim edita fuit, optimam quidem esse fatetur, sed mutato interim Gallicæ linguæ genio, archaismi vitium contraxisse. Fideliter in excerpendo autore, & sensum ejus sequendo, versatum se fuisse profitetur, nec de hoc dubitandi causa apparet; sed deprehendet id certius, cui vacat cum breviario hoc librum Pauli conferre.

CN. JULII AGRICOLÆ VITA Scriptore C. Cornelio Tacito, cum notis Augusti Buchneri primum editis cura Georgii Schubarti, Lipsiæ 1683, in 8.

Quando

Quando nuper admodum volumen Orationum Buchneri academicarum secundum a nobis percenseretur (supra pag. 347) elogium huic viro ex meritis in rem litterariam amplissimis tribuebatur. Verum licet scriptura doctorum hominum virtutes rectius exprimantur, quam solerti pictorum arte: ibi tamen pariter atque heic in externis hæremus sæpius, nec interiora exhaurimus penitus. Eruditio nostri tam varia, judicium adeo firmum & multa lectione subactum, ut quoquo tandem incumberet, sese daret felicissime, neque statim cunctis pateret. Quam ingens sit munus illorum qui scriptores veteres enarrant, ac vel inferunt lumen, vel, si per temporum iniquitatem male habiti, medica juvant ope, resecantes aliena, depravata restituentes, non uno loco huc usque demonstratum fuit. Buchnerus quorsum inter hos referri debeat, communi suffragio monemur, paucos tanta elegantia, tam commoda & perspicua interpretatione, tam efficaci sensu magnitudinem cogitationum, ac prudentiam in monumentis antiquorum tradidisse. In corruptis ac desperatis membris ea modestia semper usus, ut nihil ex nimia ingenii fiducia, ex probatis contra lectionibus, & sententiæ veritate, sibi præ ceteris obvia, decerneret omnia. Non jam curatas ejus meditationes in plures veterum, gentilium atque christianorum, quasi exserto digito indicabimus, quod unus exemplo sit nobis C. CORNELII TACITI AGRICOLA, in quem notas edidit publicis scholis, quando apud Wittebergenses humanitatis ac politioris doctrinæ professionem cum gloria quondam sustineret. Auberti Miræi verba sunt asperiora, quam libera, ubi Justi Lipsii vitam narrat, *interpretes historici gravissimi post eum, instar muscarum, ad odorem bonæ famæ convolasse, inque eodem mustaceo laureolam quæsivisse.* Palma in medio posita est, de cujus honore certare permittitur, quibus modo artes ingenuæ cordi sunt, & incrementa studiorum. Romanæ antiquitatis consultissimus ille, ac sapientiæ humanæ mystes recte putatur, qui fere primus Taciti genium pervidit; adeo autem non perfecit singula ac suis absolvit numeris, quin multa notanda posteris relinqueret. Quam noster industriam adhibuerit isthac parte, quam in civili argumento perspicacitatem, utique adparet. Non sectatur quæ in superficie posita, non levia magni facit aut protrita, sed reconditiora ubivis aperit, sensa difficilia & morosa complanat, diducit, illustrat.

A multis

A multis prætermissa, aut non satis explicata, sub incudem revocat, & jam brevi observatione mentem commonstrat, mox digressione facta, si forte requirat usus, prisca cum hodiernis componit, libertate sentiendi cuilibet integra servata. Ita rudimenta castrorum, educationem ac disciplinæ ordinem, quem in republica diligenter custodiverunt Romani, *capite IV & V* exponit, summamque illius ad eloquentiam præcipue ac scientiam militarem refert. In sequentibus virtute Agricolæ atque exemplo porro docet, quid a primis annis necessarium sit ei, qui mensuram egregii ducis olim implere, patriæque se utilem præstare cupiat. Prudentiam ac moderationem coercendi milites, ad turbas proniores, *capite VII* declarat, animumque judicis cumprimis format, ne fortassis iracundiæ, sævitiæ, aut vehementiori affectui unquam indulgeat: quin consilio regat, ut invenisse potius, quam fecisse bonos videatur. Fortunæ & auspicii religionem, qua veteres sua passim reddunt intricatiora, *capite VIII* mira perspicuitate evolvit, & quæ prolixis alii commentationibus, ipse compendio perquam erudite absolvit. Ibidem legati obsequium, quod duci suo debet, paucis exsequitur, & quid in utramque partem conveniat, eleganter proponit. Occasio quam grave sit momentum in rerum novarum molitionibus, maxime cum absentia duci patefiat a tergo relictis, *capite XIV* per monita & exempla docet. Imperium muliebre, Britannis olim solenne, *capite XVI:* principum ignavorum ferociam, atque indolem superciliosam, qua gloria ac rebus gestis, qua fortitudine, justitia, prudentia, & reliquo virtutis habitu, præcellere cunctis, utut ab his male instructi, prope in speciem volunt, *capite XXXIX* describit, & quantus inde bonis horror semper incutiatur, si emineant, pari doctrina significat. Minima quæque persequi in præsenti haut vacat, neque pro instituti ratione libet: nisi quod non omittendum duximus, egregiarum harum commentationum copiam, in paucorum scriniis delitescentium, nunc publici juris factam, doctissimo viro *Georgio Schubarto* Jenensem Academiam elegantioribus studiis exornanti deberi: a cujus industria plures Buchnerianas reliquias, commentationes nimirum in *Catilinarias* Ciceronis, *Cæsarem*, *Florum*, *Juvenalis* quasdam satyras, *Zenonis* sermonem de resurrectione, ipsosque Taciti *annalium & historiarum* libros, sub LECTIONUM ACADEMICARUM titulo exspectamus.

LES POESIES D' ANACREON ET DE Sapho, traduites de Grec en Francois, avec des Remarques. Par Mademoiselle le Fevre.

id eſt,

ANACREONTIS & SAPPHUS POEMATA e Græcis Latina facta, & cum Obſervationibus edita ab Anna Tanaquilli Fabri filia.

Pariſiis 1682, in 12.

INter præſtantiſſima ingenia, quæ bonas litteras noſtro ævo exornant, florentiſſimum viget femineum doctiſſimæ Virginis ANNÆ Tanaquilli Fabri filiæ. Quæ in Delphini uſum non tantum Latinos quosdam Scriptores, *Flori* Res Romanas, *Sexti Aurelii Victoris* Romanæ hiſtoriæ compendium, ac *Dictys Cretenſis* de bello Trojano *Daretis*que *Phrygii* de excidio Trojæ monumenta elegantibus Notis & accurata Interpretatione illuſtravit; ſed quantum patris æmula litterarum græcarum uſu valeret, eruditiſſima venuſtiſſimaque *Callimachi* editione octo abhinc annis orbi exhibuit, & nunc *Anacreontis* & *Sapphus* cultiſſima interpretatione e Græca in vernaculam ſibi linguam, doctisque quas adjecit Obſervationibus, ſatis demonſtravit. Ac Pater quidem ejus græca hæc carmina cum animadverſionibus Salmurii anno 1660 ediderat: ſed ab eo Filia non raro diſſentiendum ſibi putavit, doctiores quam veriores nonnullas ejus animadverſiones arbitrata, & immerito quasdam odas quaſi minus genuinas exturbatas fuiſſe. Vitam Anacreontis & Sapphus tam exacte percenſuit exquiſitisque narrationibus condivit, ut omnes qui de iisdem commemorarunt longo poſt ſe intervallo reliquerit. Interpretationem autem Gallicam contexere inſtituens, nec Henrici Stephani & Heliæ Andreæ, qui latino numeris alligato ſermone odas has expreſſerant, nec Remi Bellavii, qui gallico carmine eas anno ſuperioris ſeculi ſexto & quinquageſimo reddiderat, exemplum ſequi, nec Itali interpretis veſtigiis inſiſtere; ſed græcas Anacreontis odas, & ſuperſtites a Dionyſiis Halicarnaſſenſi & Longino aſſervatos duos Sapphus hymnos ſoluto ſermone verbis exquiſitiſſimis gallicis exprimere

mere maluit. Id ſtudens, ut auctoris ſententiæ, ipſisque quantum gallicæ linguæ facultas ferret verbis arctiſſime adhæreret,& nativum Anacreontis characterem, quoad ejus fieri poſſet, adumbraret, & nulla eum detractione imminutum, nullo additamento auctum, ſed integrum ſuique ſimillimum *omni ex parte* perquam fideliter exhiberet, apta verborum compoſitione & æquabili prorſæ orationis tractu contextum. Quod ſi enim obſequi numerorum legibus, & præfinitis ſyllabarum modulis alligari voluiſſet, metuebat ne deficeret in ſententiis, quas præ cæteris conſectandas ſibi propoſuerat: nec enim nimia patitur linguarum diſsimilitudo, obſervante doctiſsimo Huetio, ut verſus verſui exacte refundi queat; longius quippe excurrere & in remotas plus æquo ac diverſas partes evagari neceſſe eſt. Quæ ratio ipſum patrem Tanaquillum Fabrum eo compulerat, ut poſthabitis Henrici Stephani & Eliæ Andreæ metris latinis decerneret *græca* Teii poetæ *odaria proſaico ſermone convertere: quod ſciret, in ea verſione, quæ carminis neceſſitate & metri vinculis adſtricta ſit, multa eſſe duriora & obſcuriora, quædam etiam non ſatis perite aut intellecta aut converſa: nec unquam illam interpretandi rationem* qua vorſa oratione in alteram linguam auctores transferuntur *ſibi eſſe probatam; quippe quæ doctis hominibus non neceſſaria, ſemidoctis autem pæne inutilis ſit, nonnunquam etiam obſit propter intricatam impeditamque obſcuritatem, quam nemo interpres* numeris adſtrictus, *quantacunque utatur diligentia, vitare poſſit.* Sed ab hoc propoſito amicorum hortationibus revocatus, provinciam, quam latine excolere voluerat, gallico habitu exornandam doctiſsimæ filiæ reliquit. Quæ interpretationem ſuam venuſtiſsimam eruditis Obſervationibus cuivis odario ſubjectis comtiorem reddidit: in quibus verſionis ſuæ rationem, ſi quando ad hodiernum vivendi morem ſuum loquendi genus componens ab auctoris receſsiſſet verbis, expoſuit, græcum textum emendavit, ejus Interpretes notavit, plurimaque erudita & præclara attulit, quæ præſtantiam ac vim ingenii, tum inſignem & plurimorum auctorum haud vulgari cognitione acquiſitam eruditionem oſtendunt, noſque in deſiderium reliquorum Auctorum græcorum, quos interpretatam ſe eſſe & notis illuſtraſſe indicavit, rapiunt: ac proinde bonarum litterarum cauſam, iſtorum editione promovendam, celeberrimæ Virgini, ſexus & ſæculi ornamento, commendamus.

DES COMEDIES DE PLAUTE, TRADUITES en francois, avec des remarques & un examen, selon les regles du theatre: par Mademoiselle le Fevre; en trois tomes.

id est,

Comœdiæ quædam Plauti, in Gallicum sermonem translatæ, adjectis Observationibus & Examine ad leges theatri: per Virginem Annam Tanaquilli Fabri filiam; tribus tomis.

a Paris 1683, in 12.

PLautinas fabulas Gallicanis venustatibus exornatura & vernaculi sermonis suavitate civibus suis suoque sexui commendatura doctissima Virgo Anna Tanaquilli Fabri filia, tribus quos nunc emisit tomis totidem comœdias gallice versas & eruditis Observationibus illustratas dedit. His Præfationem de tenui dramatum origine apud Græcos æque ac Romanos, eorumque mutationibus & incrementis, comœdia veteri, media, & nova, earum auctoribus, satyra, ludisque scenicis præmisit. In qua Plautum omnibus reliquis comicis feliciorem fuisse prædicat; qui & latinam scenam majori adparatu instruxerit, sicque Grajorum mores adsimularit, ut identidem & suos agnoscerent spectatores Romani: & maximam sui partem inter tot bonarum litterarum omniumque comicorum ruinas sit superstes, quod priorum nemini contigerit, quorum hodie exigua saltem supersunt fragmenta. Terentium novem annos natum cum diem obiret Plautus, anno ætatis vicesimo octavo primum ludum Andriam edidisse ait. In isto plus artis, in hoc plus inesse ingenii; in isto dictionem, in hoc actionem meliorem. Nec præferendum Terentium Afrum Plauto Umbro censet, cum hic non minus quam iste habeat quo alterum præcellat: recteque Horatii de Plauto & Terentio sententiam, quam ex Julii Cæsaris mente explicat, accipiendam docet. Molierium celeberrimum Galliæ comicum Plauto & Aristophani simillimum existimat, quod iste non minus ac hi hominum captui eorumque omni generi se accommodaverit. In *interpretatione*

trium

trium quas jam edidit comœdiarum studium haud leve sibi adhibitum affirmat, ut bonæ interpretis munus impleret; nec parum in ea adornanda consumtum temporis, quod sufficere potuisset alteri, perfunctorie id agenti, omnibus Plauti fabulis convertendis. *Examen* cuivis fabulæ præmissum veras theatri leges tradit, & ut Plautus eas servarit demonstrat, unde intelligenda ejus mens & verus dramatis genius pernoscendus. In *Observationibus* varia ex penitiori eruditione depromta afferuntur, ac ratio interpretationis redditur, si quando a latinis auctoris verbis ea abeat. Amphitruonem, Rudentem, & Epidicum e reliquis Plautinis fabulis selectas sibi ait quas ederet, quod inventionis, mutationis, & reliqui adparatus gratia cæteras viderentur præcellere. *Aristophanis* Comœdias, & omnes *Tragicos Græcos* eodem studio excultas posthac se edituram, ac *Plautinas* omnes fabulas, eodem habitu, quo jam tres gaudent, indutas se in publicum emissuram promittit, ubi gratam hanc operam orbi futuram cognoverit. De quo dubitandi ut nullus relictus ipsi est locus, ita promissi fidem ut impleat, ætatem & vires celeberrimæ Virgini, ævi miraculo, apprecamur.

מוח הנבואה
id est,
NUCLEUS PROPHETIÆ,
Auctore Antonio Hulsio, Theolog. D. ejusdemque ut & Linguæ S. Professore in Academia Lugd. Bat.

Lugduni Batav. 1683, in 4.

Librum quatuor suis filiis dedicatum, quibus & bona sua ex æquo legat & curriculum vitæ simul in epistola dedicatoria enarrat, Auctor in duas partes distribuit. Priore non solum primaria V.T. vaticinia de Messiæ persona, officio, regno spirituali, sed etiam alia quædam celebriora Scripturæ dicta explicat. Omnia a vanis Rabbinorum argutiis doctissime vindicat, Cocceji simul interpretationes, inprimis in Canticum Canticorum Judaicam methodum redolentes perstringens. In epilogo lubricam hodiernam Judæorum fidem etiam circa gravissimos fidei articulos, ethnicorumqve superstitionibus

& hæreticorum deliramentis fœdam, ex R. Joſeph Albo libro Ikkarim demonſtrat.

Poſteriore parte de Typis V. T. tractaturus præmittit introductionem, in qua poſtquam monuiſſet, univerſum Judaicæ Reipubl. ſtatum tam eccleſiaſticum quam politicum, ſub triplici Lege delineatum pro fine habuiſſe repræſentationem ſpiritualium, quæ in Chriſtum credentes habent, beneficiorum, de triplicis Legis, puta Moralis, Ceremonialis, & Forenſis pædagogia diſſerit, qua ad Doctrinam Typicam manuducamur. Lex enim, inprimis Ceremonialis, veluti fons eſt, e quo plurimi typorum rivi manant. Typum hic appellat, ſignum repræſentans hominibus V. T. gratiam futuram, ſeu media gratiæ obtinenda per Chriſtum. His explicationem doctrinæ Typicæ ſubjungit in decem capitibus, agens de Typicis (1) Sacramentis, duobus ante peccatum, *arbore vitæ & arbore ſcientiæ boni & mali in Paradiſo*, duobus ſub Oeconomia legali, *Circumciſione & agno Paſchali:* (2.) Miraculis quatuor celebrioribus, Arca in diluvio Gen. 7. Mari & nube Exod. 14. Manna Exod. 16. Rupe cap. 17: (3) Perſonis quæ repræſentanti officium Chriſti triplex, *Regium*, ut Patriarchæ, Judices, Reges; *Sacerdotale*, ut Sacerdotes ordinarii eorumque ſubordinati Levitæ & Nethinæi; *Propheticum*, ut Prophetæ. Occaſionaliter etiam agitur tum de iis, qui proxime ad iſta officia accedunt, Nazaræis & Recabitis, tum de falſis Prophetis, ſectatoribus, hæreticis, nimirum Phariſæis, Eſſenis, Sadducæis, Herodianis, Gaulonitis, Samaritanis, Publicanis: (4) Sacrificiis: (5) Ablutionibus: (6) Inſtrumentis celebrioribus, arca fœderis, altaribus, indumentis Sacerdotum: (7) Locis tum *Sacris*, tabernaculo, templo primo & ſecundo, atrio Gentium, & his oppoſitis lucis & excelſis, ubi colebantur idola; tum *Politicis*, ſcilicet portis & aſylis, tum *Scholaſticis*, ſynagogis & ſcholis: (8) Feſtis, in quibus prolixe de Sabbathi origine, moralitate, Sabbatho Chriſtiano, de operibus Sabbathicis diſceptatur: (9) Viſionibus: (10) Hoſtibus, qui eccleſiam Judaicam atrociter perſecuti, figuram præbuerunt hoſtium N. T. in quibus eminent, Pharao Rex Ægypti, Nebucadnezar Rex Babyloniæ, Antiochus Epiphanes Rex Græcorum. In iſtis erudite utiliterque pertractatis Auctorem ὑποθέσει ſuæ (i. e. Reformatorum religioni) paſſim δουλεύειν, & aliquos meditatione ſua typos feciſſe Lector deprehendet.

Ob

Ob argumenti affinitatem adjecta est Disputatio Epistolaris Hebraica cum Jacobo Abendanah Rabbino Amsterdamensi super Hag. II. 9. constans octo Epistolis, quinque Hulsii, tribus Abendanæ, qui ad octavam & ultimam responsionem debet. Earum omnium versio Latina adscripta legitur.

Addita tandem est Mantissa ad Dan. XII. 2. *Multi ex dormientibus* &c. in qua Hulsius modeste contendit, se nullibi negasse mortuorum resurrectionem in verbis Danielis *literaliter* attendi; quem errorem sibi immerito B. Dn. D. Martin. Geierus (cujus de cætero præcellentem eruditionem & eximia in Ecclesiam merita veneratur) in Commentario ad Danielem imputaverit, allegata pag. 73 Tom. 1. Theolog. Judaicæ, ubi Hulsius scripserat: *verba sub initium Cap. 12 Danielis non ad literam, sed figurate & typice potius accipienda esse.* Ex quibus num sententia ea, quam vir immortalis nominis Hulsio tribuit, elici possit, nec ne, Lectoris esto judicium.

MOSIS CHARAS MED. D. ET REGIÆ Majestatis Anglicæ Chymici Pharmacopœa Regia, Galenica & Chymica, Gallice ab Authore conscripta, jam vero latinitate donata.

Genevæ, 1683, in 4.

QUod Opus, Gallice primum conscriptum & iterato jamdum editum, paucis forsan hactenus in Germania videre contigit, illud nunc Latino habitu in publicum prodiit. Opus vero est, quod Pharmacopœæ Regiæ Titulum optimo meretur jure, non minus in recessu, ac in fronte gerens, & per quod Autor (per Scripta *de Theriaca* & *Experimenta circa viperas* dudum celebris) Rempublicã Medicam non parum sibi obstrinxit, talia juris & usus publici faciens, quæ indefesso labore, studio multo & magnis sumptibus sibi comparaverat, aut a Viris illustribus, & inter hos præprimis a Domino *Aquino*, Medico Regio primario, sibi concredita fuerant. Ubi tamen præmonitum ante omnia Lectorem volumus, quatuor partes editionem Gallicanam complecti, quarum ultima, varia continens remedia particularia, aut ex nobilioribus scriptoribus, aut viris singularis peritiæ hausta, propriaque experientia comprobata, huic præsenti deest.

Dividit

Dividitur hæc in duos Tomos, quorum prior præter præcepta generalia & Pharmaciæ tam Galenicæ, quam Chymicæ communia, de Principiis Mixtorum, de Medicamentis in genere, horum Facultatibus, Electione ac Præparationibus variis, de Furnis, Vasis, Lutis &c. Producta præprimis Galenica, horumque parandi modos, cum singularibus observationibus v. g. *occasione Conf.* alkermes, quod Aurum foliatum in ventriculis animalium revera dissolvatur, de efficacia pulveris contra rabiem Domini de Piroa a Palmario descripti &c. tradit, & post Balsamorum confectionem, Methodum balsamandi & condiendi cadavera Autori peculiarem hactenus exponit. Alter Tomus circa Præparationes Chymicas versatur, in tres Libros, vegetabilium, animalium, & mineralium, digestas, multisque egregiis phænomenis atque experimentis instructas. Ita v. g. ubi de destillationibus Aquarum agit, singularem encheiresin, Aquas fragrantissimas ex floribus, cum stercore vaccino exsiccato stratificatis & rore Majali irroratis, conficiendi exponit. In cap. de Mali Citrii destillatione in *D. Frid. Hofmannum* valde invehitur, lacessitus ab hoc in *Clave Pharmaceutic. Schroderianæ* per materiam de natura veneni Viperini. Spiritus vini Tartarisati vulgaris destillationem rejicit, alium ejus modum surrogando, a nullo forsan hactenus adhuc observatum, ipsum vinum acidulum a Sale Tartari destillare jubens. Optimum ac purissimum Opii extractum per Aquam simplicem parandum commendat: ejusdem vero Opii vim soporiferam haud catholicam, sed diaphoreticam ac sudoriferam tantum asserit, dum ipse aliquando a 6, ac postmodum a 12 ejus granis assumptis nihil torporis aut somnolentiæ, sed pruriginem saltem aliquam in habitu expertus fuit. De Salis Tartari *volatilisatione* egregia profert. Viperas destillandi modum ubi tractat, contra *Denisium*, Adversariorum Artium & Scientiarum Conscriptorem de ætiologia veneni viperini iterum disputat, sententiamque olim super hanc explicatam contra illius asserta vindicat. Cantharidum Sal volatile omnium diureticorum potentissimum & Venerem insigniter stimulans pronunciat, ultra trina grana non propinandum: it. Oleum earundem, olei Caryophyllorum æqualibus, ac duodecim olei Nucistæ expressi partibus commixtum, & plantis pedum, perinæo testiculisque inungendum commendat. De Calcis vivæ natura pariter non vulgaria edisserit, Mercurii vivi texturam minime (ut vulgo ferunt)

alkalicam

alkalicam, nec virulentiam mali venerei in acido consistere, evincit. Butyrum Antimonii cum causticum potens sit, adeoque in ossium carie, gangræna, fistulis, cancro &c. absumendis ac sistendis laudetur, vehementia nihilominus illius effectuum multa cautione opus habeat: Methodum Domini *Pelegrini* oleo hoc in recensitis similibusve casibus cum successu & tuto utendi, testis ocularis, explicat. Antimonii insuper singulares nonnullas Præparationes subnectit, v.g. Antimonium per inferiora tantum purgans, & Tincturam ejusdem cum oleo terebinthinæ aut baccarum juniperi parandam, ac per secessum & sudorem pariter tantum evacuantem. Tandem vero & in capite de Bismuthi præparationibus, Bismuthum ac Zinckum arte parare docet.

EXPERIMENTA AC DUBIA NONNULLA Chymica, Auri & Argenti solutionem spectantia, communicata a D. B.

SIcut nec in Chymia tyronem latere auguror, Menstruorum, quæ Aurum atque Argentum dissolvunt, adeo restrictam esse potentiam, ut quod solutioni Argenti adæquatum, sc. Aqua fortis, Aurum ne superficialiter quidem arrodat; contra quod metallum hoc in minima solvit, sc. Aqua Regis, argentum vix, aut leviter saltem afficiat: Ita ex iis quæ circa hæc, satis quidem mihi paradoxa & assertis trivialibus contraria, nuper annotavi, explicare volui.

Primo nempe repetitis tentaminibus expertus sum, nihil plane referre, sive pro Aqua Régia paranda, Basis Spiritus Nitri seu Aqua fortis, sive Spiritus Salis sit: modo illi tantillum Salis commun is aut marini; huic Nitri (quartam, imo sextam, partem) adjicias, vel stagmata illa ab his destillando abstrahas: i.e. Aqua Regis fiet æque, ex Spiritus Salis v.g. unciis quatuor & Nitri uncia una aut drachmis sex, ac ex Aquæfortis seu Spiritus Nitri unciis quatuor & Salis comm. uncia una &c. Unde difficile satis explicatu mihi videtur, quomodo Menstrua, ratione equidem ingredientium eadem, proportionis tamen illorum intuitu satis disparia, unum eundemque nihilominus præstent effectum?

Secundo Spiritum Salis marini seu communem simplicem, & qui

de Nitro nihil plane participat, Aurum ſolvere, Paradoxum Chymicum eſt: deprehendi interim, illum hoc præſtare, modo ſuper æqualem Salis ejusdem portionem bis cohobetur; Argentumque ſicut antea, ita & nunc, intactum relinquere.

Tertio ſi Aqua fortis a Nitri communis minusque depurati parte æquali bis vel ter cohobetur, Menſtruum Auro appropriatum evadit, Argentum aliquantum duntaxat arrodens: Quod ſi autem ab eadem Nitri, probe depurati, portione binis vicibus avocetur, Lunam in momento & ſine caloris extrinſeci adminiculo ſolvit, Solemque, calore externo quamvis adjuta, minime contingit.

Quarto mirari ſubit, quomodo eundem effectum, in ſolvendo Auro, duplici pariter ratione parata Aqua Regis præſtet? Sc. modo in Aqua forti aliquid Salis diſſolvitur, atque totum in menſtruum deliquatur, nihil autem ab hoc ſegregatur: Modo ab eodem Sale Aquafortis tantum cohobatur, hinc ejus aliqua duntaxat & volatilior forſan ſubſtantia in Aquam Regis faceſſit; ab Aqua forti autem Sali loco illius, quod deceſſerat, aliquid imprimi, credere jubet Nitrum verum, in quod remanens Sal degenerat.

THE ANATOMY OF HUMANE BODIES epitomized, by a Fellovv of the College of Phyſitians in London.

id eſt,

Anatomia humani corporis in compendio tradita a Socio quodam Collegii Phyſici Londinenſis,

Londini. 1682, in 8.

SCriptum anonymi Tibi L. B. ſiſtimus, omnium partium humani Corporis conformationes, actiones & uſus tradens, & quidem prout hæc partim ſuperioribus Seculis explicata, partim per Neotericorum, v. g. Harvæi, Bartholini, Williſii, Malpighii, Graëfii &c. inventa atque aſſerta emendata fuerunt. Dividit illud Autor in Libros ſex, quorum *primus* Abdomen, *ſecundus* Thoracem, *tertius* Caput, cum ſingulorum contentis; *quartus* vaſa artuum cujuscunque generis, *quintus* Muſculos, & *ſextus* Oſſa totius corporis una cum Carti-

Cartilaginibus, Ligamentis & Unguibus exponit, methodo negotio huic satis congrua multisque Anatomicorum observationibus exornata.

FORMULES DE MEDICINE, TIRE'ES de la Galenique & de la Chymie, par H. Tencke Professeur Royal a Montpellier.

id est,

Formulæ Medicamentorum Galenicorum & Chymicorum, autore H. Tencke Prof. Reg. Monspel. Lugdun. 1682, in 12.

VIderat hoc Opusculum, sub Idiomate Latino, primam lucem Anno 1681, postmodum vero Interpretis Gallici expertum est calamum: diversa continens, praxin ineuntibus utilissima scituque necessaria. Sc. Remediorum Medicorum administrationem decentem, magni æque momenti ac difficultatis summæ negotium, observans Nobilissimus Scriptor, hanc ut tyrones doceat, illa sub Alterantium, *Evacuantium*, Roborantium, & Lenientium seu panegoricorum quadruplici classe recenset, cunctorum, partim compositionem, partim usum, partim formulas exponens, ultimæ vero classi Caput unum de sanguinis fluxu sedando, alterum de Animi deliquio corrigendo, annectens, ac hinc inde varia scitu digna immiscens. Ita v. g. Usum Opii & opiatorum in hysterica passione singularem per binos casus confirmat: ubi de Pulveribus Alterantibus agit, Chinæ Chinæ usum febrifugum hujusque circumstantias, item Coffee & herbæ Thee, exponit: & de unguentis ubi agit, de salivatione per inunctiones Mercuriales concitanda disserit.

LA COUR DE LA REINE JEANNE de Bourbon epouse de Charles V surnommé le Sage.

id est,

Aula Reginæ Johannæ Burboniæ, conjugis Caroli V cognomento sapientis.

Exhibuimus mense Junio præsentis anni p. 261 *Caroli V Galliæ Regis Aulam, antiqua tabula expressam, & a Clarissimo* Menestrerio Soc. Jes. *diligenti studio evolutam. Tantum vero abest, ut Historiarum ac Heraldicæ artis cultoribus, quorum inservire studiis ea re voluimus, operam visi fuerimus lusisse, ut gravissimi quidam viri ad Reginæ quoque Johannæ Burboniæ Aulam, quam priori Menestrerius adjunxerat, eodem modo ac ornatu sistendam, ultro nos solicitarint. Eam ergo, Lector Benevole, nunc accipe, ab eodem Menestrerio, cujus verba Latine reddimus, ex præsenti tabula descriptam.*

TAB. X. Argumentum picturæ congressus est Isabellæ Valesiæ viduæ Burboniæ, cum filia Regina Johanna Burbonia, ad castrum Claromontanum in sylva quadam, in qua venationi Dux Burbonius incumbit. Fœminæ illustres omnes insignibus suis super amictu expressis, perinde ac in tabula priore viri, distinguuntur. Castellum quod in angulo superno repræsentatur, Claromontanum est, in quo nemoscopia singula scutulum exhibent aureum, ex symbolo Ludovici Burbonii, qui ordinem Equestrem cum clypeo aureo instituit.

1. In medio tabulæ Regina visitur, tunicam velleris murini, & pallium Franciæ miniata fasciola Burbonica sectum induta. Coronam ea gerit coronæ mariti sui persimilem.

2. Manuducitur vero a Johanne Burbonio, primo hujus nominis Marchiæ Vindocinensis & Castri Comite, honorarii Reginæ deductoris munus obeunte. Manu sua dextra innititur sinistræ Principis, sinistra vero avem sustinet; ad venationem condictum esse, seque in agrum Claromontanum velut advolare innuens. Marchiæ Comes nonnisi brevi toga indutus est, insignia ipsius ostendente, quæ rupta sunt *(brisées)* balteo Burbonico, & subdistincta *(surbrisées)* leunculis Marchiam Vindocinensem & Castri notantibus.

3. Syrma pallii Reginæ Domina de Savoisy sustinet, Philippo de Savoisy uni ex Regis cubiculariis nupta. Stola ejus divisa est, ac altera parte insignia mariti refert, aream nempe auream tribus capreolis *(chevrons)* rubris, & striatura *(engreslure)* quadam cyanea exaratam; qualia variis in locis exstructæ ab eo arcis Segnelay conspiciuntur.

4. Post Reginam Maria Francica, filia Regia, consistit, tres aut quatuor annos nata, cum tunica velleris murini, & stola exteriore liliis consita, caput corolla seu serto aureo cincta.

5. Anna Ducissa Burbonia, Delphina Arverniæ, Comitissa de Forests, Domina de Mercœur, Beroaldi II hoc nomine Comitis Claromontani Delphini Arverniæ, & Johannæ de Forests Dominæ d'Ussel filia, lateri natæ Regiæ assistit. Palla ejus symbolis Burbonicis, velut mariti sui, & propriis, ad Delphinatum Arverniæ & Comitatum de Forests spectantibus, est bipartita.

6. Ejus syrma Domina de Nedonchel ex Domo Burnelia colligit, cujus peplum altera parte insignia mariti, aream cyaneam argento a dextra oblique fasciatam (*d'azur a la bande d'argent*) altera ipsi propria, scutulum miniatum & marginem disjunctum (*un orle*) cum psittacis viridis coloris in solo argenteo repræsentat.

7. Tres reliquæ Principissæ sorores sunt Reginæ. Prima, Bonna Burbonia Comitissa Sabaudiæ, conjux Amedei VI, cognomentum Comitis viridis, ex affectu in colorem illum, quodque Calendis Maji celebres ludos Equestres Camberii instituerit, habitu & sago militari viridi usus, consecuti. Palla Principissæ hujus Sabaudicis, Burboniisque insignibus distincta est, ipsaque catulum loro tenet.

8. Altera, Catharina Burbonia, Johanni ejus nominis VI Harcuriæ Comiti, ex nobilissima quadam & antiquissima Normanniæ domo, nupta. Pallæ ejus bipartitæ pars altera insignia Burbonico-Francica sistit cum fascia miniata, altera Harcuriana, fascias nempe duas aureas in campo rubeo.

In Gallico mendose legitur: d' or a deux fasces de gueules. *Legi enim debet:* de gueules a deux fasces d' or. *Id enim convenit figuræ ipsi, ubi area miniata, fasciæ autem auro tinctæ conspiciuntur, & diserte ejusmodi symbolum Harcurianæ illi genti* Varennes *parte prima libri Gallici* Le Roy d' Armes *pag. 94 tribuit.*

9. Tertia est Margareta Burbonia, uxor Arnoldi d' Armanieu Domini d' Albret, supremi Franciæ Cubicularii. Peplum ejus una parte insignia Franciæ per fasciam rubram rupta, altera Albretana, aream nempe rubentem eamque puram, defert.

Comitissa Harcuriæ avem manu tenet, sicut Regina. Tres vero has Principissas uxor Burbonii nothi comitatur. Nempe

10. Agnes de Chaleu, cujus symbola bipartita alteram quidem aream puram, nisi quod quadrans insignium Burbonicorum ipsi impressus est; alteram argenteam nigro (*ita Menestrerius:* au sautoir de sable.

ſable. *Aſt in tabula ipſa non niger color, ſed miniatus expreſſus eſt, quo argenteum ſolum in decuſſim trajicitur; ut neceſſe ſit, vel in pictura, vel in deſcriptione erratum fuiſſe. quod definire, cum explorata inſignia Domus de Chaleu non habeamus, integrum nobis non eſt; viſum tamen fuit monendum)* decuſſatam, qua familia de Chaleu notatur, exhibent.

Quatuor hæ ſingulæ ſertum aureum capite geſtant.

11. Iſabella Valeſia vidua Burbonia, palla ſua cum inſignibus Burbonicis, & mammillari ac velo albo conſpicua, velut vidua Petri hoc nomine I Ducis Burbonii. A calantica illa viduarum mos proceſſit, quo Regum viduæ apud Gallos *albæ Reginæ* conſueverunt appellari.

12. Honoraria illius aſſecla ex Domo de Mornay de Villarceau in Normannia, ſtola ſua aream præfert aureis & rubris tæniis exaratam cum leone nigro.

13. Dux Burbonius gladio ſuo cervum transverberans, brevi veſte venatoris inſtar indutus eſt, cingulo aureo in teſſeram inſtituti ab eo Ordinis Spei circumdata.

14. Dn. de Nedonchel Ducis cubicularius, pro veteri more pedem cervi tenet Reginæ exhibendum, portatque lagenas vinarias.

JOHANNIS STRAUCHII INSTITUTIONUM Juris Publici Specimen. Juſſu heredum ex Schedis B. Autoris adornavit vulgavitque Johannes Georgius Kulpis.

Francofurti. 1683, in 8.

QUi eruditiſſimis ſuis ſcriptis, Jurisprudentiam qua publicam qua privatam concernentibus, immortalitatem ſibi paravit JCtus ſummus Johannes Strauchius, non ſemel dum viveret Publici Juris prudentiam in formam artis redigere, ejusdemque Inſtitutiones ſecundum methodum Juſtinianearum formare aggreſſus, ſubinde tamen per varios eosque concatenatos labores illas perficere impeditus, tandem ante paucos annos, dum extremo conatu ad finem eas perducere inſtituiſſet, atque in explicanda Auditoribus ſuis Expeditione Romana eſſet occupatus, ſuperveniente mortis hora expeditionem

nem cœlestem suscipere jussus, & ita cœptum opus expedire fuit prohibitus. Cujus fragmentum hactenus avide a pluribus descriptum orbi erudito diutius invidere noluit, sed jussu heredum publici Juris fecit Clarissimus Editor, qui & ipse in præfatione ad Lectorem curam atque operam suam in hoc fragmento adhibitam latius declarat. Sistuntur autem tibi, benevole Lector, in hoc specimine Liber primus integer, & Libri secundi pars aliqua non contemnenda. In illo deprehendes Discursus accuratissimos de civibus Imperii Romano-Germanici tam imperantibus quam parentibus, de Imperatore Romanorum & ejus potestate, de Capitulatione, de Vicariis, de modis quibus potestas Imperatoris solvitur, de Electoribus ac Principibus Imperii, Prælatis item, Comitibus, Baronibus ac Civitatibus Imperialibus, tum de modis, quibus Jus civitatis amittitur, de subditis Imperii immediatis & mediatis, de Nobilibus, Equitibus, Ganerbiis, Patriciis, Comitibus Palatinis Cæsareis, de Protectoribus & Clientibus, ac de Judæis, denique de Statu Familiarum Illustrium, de uxore Augusta & Illustri, de Liberis illustribus, de divortiis, de illustribus viduis & tutelis. In Libro secundo invenies dissertationes de rebus publicis, de Jure maris, de littoribus, portubus, fluminibus, & insulis, de territorio, de superioritate territoriali, de Jure Belli, de Jure sequelæ, cujus occasione tanquam ejus partem Autor Expeditionem Romanam exponit, in qua ut modo dictum, abrumpere coactus fuit. Cujus adeo reliquas cogitationes simul nobis fuisse ereptas merito dolemus, & plus adhuc doleremus, nisi ex alterius Viri Magnifici Institutionibus Juris publici, jam præcedenti mense a nobis commendatis, & jam ob defectum hunc operis Strauchiani (quem egregie supplent) multo magis commendandis, caperemus solatium. Nec illud omittendum, fragmento huic additas esse disputationes tres a Strauchio olim in hac alma habitas ad explicationem Taciti de moribus Germanorum plurimum facientes, in quarum prima Germanos esse indigenas probavit, in secunda vero de modis acquirendi priscorum Germanorum, & in tertia de armis eorundem solide disseruit.

CONTINUATIO RELATIONIS DE COMETA, PRÆTERITO mense Julio observari cœpto.

QUanquam inter Eruditos constare arbitramur, Cometam quem cœlo noviter suspensum, saltim oculis nostris detectum, Aug. mense retulimus, Spectato-

ctatoribus industriis se nondum subduxisse: non omnino tamen frustra nos futuros confisi sumus, qualicunque etiam descriptione motus, quem phænomenon hoc à Calendis Sextilibus hucusque in cœlo confecisse Lipsiæ visum est.

Die 3. Aug. Stylo vet. Hora X, 10′ vesp. Cometa distabat à Lucidâ Humeri Aurigæ 3°. 27′. 51″; lineamque δ β (stellarum Uranometriæ Bayerianæ) supergressa, ab eadem dodrante gradus removebatur.

Die 4 Hora IX, 52′ vesp. ab eâdem Lucidâ aberat 3°. 21′. 26″, & semihorâ post, a δ Aurigæ paulo minus 7°.

Die 6. Hora IX, 19′ Cometa a Capella 3°. 6′. 26″ distans, a linea α β sursum 30′ remotus erat, simul in eadem recta cum δ & ο Aurigæ consistens.

Die 8 Hora III mane, transcenderat lineam α β semisse circiter gradus; quadrante a linea α ϑ, ad quam tendebat, distans.

Eodem die vesp. Hor. IX, 20′, Cometes & ε Aurigæ rectam constituebant, salcim superiore Cometæ limbo: cujus Diameter per tubum quatuor pedum 7′ minor non erat. Hac etiam nocte, cum a pluribus diebus nihil Caudæ visum fuisset, eadem, sed tenui specie, visui denuo se ingerebat.

Die 9. Hora II, 38′ mane, Capella, Cometa, γ Aurigæ; β item, Cometæ limbus superior & ε in eadem recta consistebant.

			°	′	″
Die 10, Hora IX, Cometa,	ε	Aurigæ distabant	1	49	17
IX, 56′.	η		1	0	0
	ζ		1	0	0
X. 9′	α		4	42	61

Die 11 Hora IX, 50′ Cometa cum Hædis η & ζ erat in una recta, ab η 2°. 17′. 9″; ab ζ 1°. 30′ remotus. Nudo oculo earum unam æquare videbatur.

Die 12, Hora X, 26′ Cometa & e Persei 2°. 47′. 9″;
32′ idem & ζ Aurigæ 3°. 43′. 56″ distabant.

Die 18. Hor. X, 52′ Lucidæ Pleiadum & Cometæ distantia erat 1°. 42′. 51″.

Die 19. Hor. X, 44, eadem distantia 3°. 12′. 51″. Transiitque Cometes inter proximum hoc biduum supra Pleiades.

Die 22, Hor. XI, 40′, Cometa & μ Ceti 4°. 17′. 9″; Idem & λ Ceti (quantum per nubes capere licuit) 3°. 12′. 51″ distabant. Omnes hæ distantiæ micrometro per tubum captæ sunt; sed tempora ex Horologio ambulatorio ad fixas non exacta. Juxta has vero aliasque observationes Cometa intra proximum quatriduum 20° emensus est.

Ab hoc tempore ad 31 Augusti, cœli constans intemperies Cometam oculis persequi inhibuit. Optamus autem, ut quando præceps ejus jam temporis in austrum declinatio eundem climati nostro mox subductura est; in transalpinis Europæ partibus celebrium Astronomorum vigilet industria, animadversoque, qua tandem cursum deducturus, aut etiam desiturus sit, absolutam phænomeni hujus nobis condat historiam.